

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**In. Epistolas M. Tvllii Ciceronis Qvae Familiares Vocantvr
Paulli Manutii Commentarius**

Manuzio, Paolo

Venetiis, 1579

Argumentum ep. I. lib. XVI.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764133)



IN . EPISTOLARVM

M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . SEXTVMDECIMVM

AD . TIRONEM

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



Argumentum ep. I. lib. XVI.



ORDINEM epistolarum fere omnium ad Tironem ostendit ratio temporis, ex adscripta cuique die, & in ipso argumento satis nota. Prima sine dubio est, quae incipit, Paulo facilius; secunda, Non queo; tertia, Nos apud; quarta, Varie; quinta, Vide; sexta, Facilius: septima, Septimum; octava, Nos ate; nona, Etsi opportunitatem; decima, Quo in discrimine; undecima, Magnae; duodecima, Omnia; tertiadecima, Menandrus; quartadecima, Aegypta; quinta-decima, Spero; sextadecima, Video; decimasextima, Sollicitat; decima octava, Exspecto; decimanona, Ego uero; uigesima, Quid igitur? uigesimaprima, De Tirone; uigesimasecunda, Etsi mane; uigesimatertia, Tu uero; uigesima-quarta, Cum uehementer; uigesimaquinta, Etsi iusta; uigesimasexta, Verberaui; uigesima septima; Mirificam.



QVVM e Cilicia proconsul Cicero ad urbem rediret, seruum sibi carissimum Tironem, cuius praecipue opera in litteris utebatur, aegrum Patris reliquit: ad eum saepe ex itinere testes amoris ac desiderij sui litteras misit: quarum in ordine quintum locum, ut iam diximus, hominum eruditorum sententia hae litterae obtinent. L.

Paullo, C. Marcello cos.

Ffff Tullius,

Tullius, & Cicero F. & Q. S. D. Tironi humanissimo, & optimo. 1.



VIDE, quanta in te sit suauitas: duas horas Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quam si uixerit tecum. is omnia pollicitus est, quae tibi essent opus, facturum puto. mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. uidebis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. uolebam ad te Marionem remittere; quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi unas litteras Marionem asserre posse,

me autem crebras exsistere. poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. multi erunt quibus recte litteras dare possis, qui ad me libenter perferant. equidem Patras euntem neminem praetermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. ei te totum trade. malo te paulo post ualentem, quam statim imbecillum uidere. cura igitur nihil aliud, nisi ut tu ualeas: cetera ego curabo. Etiam atque etiam uale. Leucade proficiscens, vii. id. Nou.

EXPLANATIO



THYREI} locus inter Alyziam, & Leucadem. nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero uenit: unde proficiscens hanc epistolam scripsit. Thyreo nullas litteras dedit: quia duas tantum horas ibi mansit. **F**ACTVRVM puto,} aliqua re proposita, cum Cicero subiungit sententiam suam, utitur hac figura, quam & grauitas, & breuitas commendat, ut hic: Is omnia pollicitus est, quae tibi essent opus, facturum puto. Et ep. 16. lib. xiii. Incensus studio rerum tuarum, eas litteris Graecis mandare cupiebat. posse arbitror. ualet ingenio. Ad Att. ep. 4. lib. x. Iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret, amicissimum mihi Caesarem esse debet. **M**ARIONEM remittere;} quem antea miserat. ep. 3. **C**VM meliuscule tibi esset,} ep. 6. si recte erit. ep. 22. spero tibi melius esse. Tusc. 1. Pompeio melius factum est. **A**CASIVS} seruus Ciceronis est. ep. 12. 14. & ad Att. ep. 9. lib. vi. **P**ATRAS} ubi agrum Tironem reliquerat. ep. 2. lib. vii. ad Att.

Argumentum ep. 2.

Aduersis uentis Corcyrae se teneri significat. Tironem hortatur, ut se curet, nec nisi confirmatus nauiget.

Tullius, & Cicero S. D. Tironi suo. 2.

SEPTIMUM iam diem Corcyrae tenebamur. Quin etus autem pater, & filius Buchroti. solliciti eramus de tua ualetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil a te litterarum. is enim uentis istinc nauigatur, qui si essent: nos Corcyrae non sederemus. cura igitur te, &

confirma; & cum commode, & per ualetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimus tui ueni. nemo nos amat, qui te non diligit. carus omnibus, exspectatusq. uenies. Cura ut ualeas etiam atque etiam Tiro noster. Vale. xv. Kal. Nou. Corcyrae.

EXPLANATIO

NON sederemus,} sedere, interdum est nihil agere, ut hic, & apud Terentium: sedere domi uirginem tam grandem. **P**ER anni tempus,} abeunte hieme. ep. 33. lib. x. Anni tempus libertatem maiorem mihi dat. Plautus in Merc. Itidem ut tempus anni, aetatem aliam, aliud factum conuenit. sic alibi, tempus diei, tempus aetatis. XV. KAL. NOV.} si attendimus, quod ep. 9. scriptum est: cogmur credere, Dec. non Nou. legere.

Argumentum ep. 3.

Suum Tironis desiderium significat.

Tullius,

Tullius, & Cicero meus, & frater, & fratris F. S. D. Tironi suo. 3.

PAVLLO facilis putavi posse me ferre desiderium tui, sed plane non sero. & quamquam magni ad honorem nostrum interest, quamprimum ad urbem me venire: tamen peccasse mihi uideor, qui a te discesserim. sed quia tua uoluntas ea uidebatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles nauigare, approbavi tuum consilium; neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. sin, postea quam cibum cepisti, uideris tibi me posse consequi: tuum consilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad me quamprimum ueniret; aut, si tu morarerer, statim ad me rediret. tu autem hoc tibi persuade, si commodo ualitudinis tuae fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum; sin intelliges opus esse, te

Patris, conualescendi causa, paululum commorari, nihil me malle, quam te ualere. si statim nauigas, nos Leucade consequere. sin te confirmare uis; & comites, & tempestates, & nanem idoneam ut habeas, diligenter uidebis. unum illud, mi Tiro, uidero, si me amas, ne te Marionis aduentus. & hae litterae moueant. quod ualitudini tuae maxime conducet, si feceris; maxime obtemperaris uoluntati meae. haec pro tuo ingenio considera. nos ita te desideramus, ut amemus. amor, ut ualentem uideamus, hortatur; desiderium, ut quamprimum. illud igitur potius, cura ergo potissimum, ut ualeas. de tuis innumerabilibus in me officijs erit hoc gratissimum. III. non. Nou. Vale.

EXPLANATIO

AD honorem nostrum, } ad triumphum, quem sperabat: sed, eum ne discordia ciuiles impedirent, uerebatur; id quod euenit. propterea dicit: Quamprimum ad urbem uenire. PECCASSE mihi uideor, qui a te discesserim. } simile illud ep. 13. lib. IV. Ut hoc ipsum, quod maneam in uita; peccare me existimem. CIBVM cepisti, } stomacho non, ut antea, respiciente. ideo scripsit ep. 6. Ius tibi dandum non fuit, cum *κακὸς ἢ κακὸς* esses. TVVM consilium est. } tui consilij sit, uelis nauigare necne. hoc tuae permitto uoluntati. ep. 8. lib. IX. MARIONEM } seruum. HAEC pro tuo ingenio considera. } ut tibi faciendum uidebitur, ita facies. ILLVD igitur potius. } ut ualentem uideamus. DE tuis innumerabilibus in me officijs. } ep. 6. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forensia; urbana prouincialia; in re priuata, in publica; in studijs, in litteris nostris. omnia uiceris, si, ut spero, te ualidum uidero. & ep. 5. III. non. } IV. non. discesserat a Tirone, ut in ep. sequenti, & 9.

Argumentum ep. 4.

Scribit de sua sollicitudine, suoq. ad Alyziam accessu: rogat, ut ualitudinem diligenter curet.

Tullius S. D. Tironi suo. 4.

NON quo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus: tantum scribo, & tibi, & mihi maximae uoluptati fore, si te firmum quamprimum uidero. tertio die abs te ad Alyziam accesseram. is locus est circa Leu-

cadem stadia CXX. Leucade aut te ipsum, aut tuas litteras a Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac ut ualeas, uel quantum te a me scis diligere. Nonis Nou. Alyzia.

EXPLANATIO

QVO animo sim affectus: } quia te careo. TERTIO die abs te, } discesserat igitur a Tirone III. non. nam haec epistola scripta est nonis, superior III. non. ALYZIAM } qui est Acarnaniae locus, a mare distans quindecim stadijs, ut ait Strabo lib. x. LEUCADEM } quondam Neritum dictum. Plinius lib. IV. cap. I. STADIA CXX } stadia Columella & Plinius metiuntur passibus CXXV. id est pedibus DCXXV. Gellius pedibus DC. Suidas e stadijs septem & dimidio milliarium constituit. qua ratione milliarium e mille passibus, unde nomen sumpsit, non constabit. Videtur autem Plutarchus idem fere sensisse. nam in Gracchi uita milliarium ait e stadijs esse paullo minus quam octo. cum ex octo integris constare debeat: si modo in stadio passus fuere CXXV, in milliario mille.

Argumentum ep. 5.

Rogat, ut omni cura ualitudini seruiat.

Ffff 2 Tullius,

Tullius, & Cicero, & Q. pater, & filius S. D. Tironi suo. 5.

Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat. is dies fuit non. Nou. inde ante lucem proficiscentes ante diem *ix. id.* Nou. has litteras dedimus. Tu, si nos omnes amas, & praecipue me, magistrum tuum, confirma te. ego ualde

suspense animo exspecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. omnes cupimus, ego in primis, quamprimum te uidere, sed, mi Tiro, ualentem. quare nihil properaris. satis quorundie uidero, si ualebis. utilitas tuis possum carere: te ualere, tua causa primum uolo, tum mea, mi Tiro. Vale.

EXPLANATIO

Ante diem *ix. id. Sept.* } hic locus aperte demonstrat, ante diem *ix. id.* idem esse, quod *ix. id.* quod alijs probauimus exemplis ep. 7. lib. *ix.* **MAGISTRUM tuum,** } quem propterea magis, quam alios, amare debes. ep. 12. Docui te, inquit. **MARIONEM?** ep. 3. **UTILITATIBUS tuis possum carere:** } utilitates hic non pro rebus utilibus accipiuntur, sed pro operis, quas Tiro, cum ualeret, Ciceroni praebere solitus erat: ut ab eo, quo utimur, non ab eo, quod utile est, deducatur. Sic ad Att. ep. 5. lib. *vii.* Tironem, etsi mirabiles utilitates mihi praebet, cum ualet, in omni genere uel negotiorum, uel studiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modestiam malo saluum, quam propter usum meum. Et Lucretius lib. *vi.* Utilitatem, pro, usum dixit: Nihil adeo posset cuiquam leue, tenuesq. membris Vertere in utilitatem. Mansit haec significatio usque ad Venerabilis Bedae tempora: nam in quadam homilia: An tu, inquit, calumniaris ea, quae oculis uides, manu tenes, utilitate sentis?

Argumentum ep. 6.

Tota cohortatio est ad curandam ualetudinem.

Tullius Tironi suo S. D. & Cicero, & Q. pater, & Q. F. 6.

Varie sum affectus tuis litteris, ualde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus. quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane ualeas, te neque navigationi, neque uiae committas. satis te mature uidero, si plane confirmatum uidero. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio: sed plane curationes eius non probo: ius enim dandum tibi non fuit, cum *κακός ὁμαχός* esses. sed tamen & ad illum scripsi accurate, & ad Lyson em. ad Curium uero, suauissimum hominem, & summi officij, summaeq. humanitatis, multa scripsi, in his, etiam ut, si tibi uideretur, te ad se transferret. Lyso enim noster, uereor, ne negligentior sit, primum, quia omnes Graeci: deinde, quod, cum a me litteras accepisset, mihi nullas remisit. sed eum tu laudas. tu igitur, quid faciendum sit, indicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, sumptu ne parcas ulla in re, quod ad ualetudinem opus sit. scripsi ad Curium, quod dixisses, daret. medico

ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Innumeraabilia tua sunt in me officia domestica, forensia; urbana, prouincialia; in re priuata, in publica; in studijs, in litteris nostris. omnia uiceris, si, ut spero, te ualidum uidero. ego puto te bellissime si recte erit, cum quaestore Mescinio decursurum. non inhumanus est, teque, ut mihi uisus est, diligit. & cum ualetudini tuae diligentissime consulueris; tum, mi Tiro, consilio navigationi nulla in re iam festinare uolo. nihil laboro, nisi ut saluus sis. sic habero, mi Tiro, neminem esse, qui me amet, quin uideat te amet. & cum tua, & mea maxime interest te ualere: tum multis est curae. adhuc, dum mihi nullo loco deesse uis, numquam te confirmare potuisti. nunc te nihil impedit: omnia depone: corpori serui. quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri a te iudicabo. Vale, mi Tiro, uale, uale, & salue. Lepta tibi salutem dicit, & omnes. Vale. *vii. id. Nou. Leuade.*

EXPLANATIO

DE MEDICO } Aclapone ep. 8. **CUM κακός ὁμαχός** esses. } stomacho cibum appetente: quae dicitur *ἀγογία*. non enim, quicumque *κακός ὁμαχός* est, iure laeditur. Ius autem pulli gallinacei, quo aequari humores ualemus, & alij prodidere, non dubito quin significet. **LYSONEM,** } Patrensem, de quo ep. 1. & 9. & lib. *xiii.* ep. 19. **CURIUM?** } ad quem scribit lib. *vii.* epistolas tres. nominatur & in hoc libro ep. 1. & 9. & ad Att. ep. 2. 3. lib. *vii.* **SUAUISSIMUM hominem,** } suauitatem eius ep. 28. lib. *vii.* urbanitatem ep. 31. nominat, & ep. 2. lib. *vii.* ad Att. **QUOD ad ualetudinem opus sit.** } quaecumque res ad ualetudinem opus sit, in ea sumptu ne parcas. **DARET.** } tibi. ep. 5. lib. *vii.* ad Att. Tironem Curio commendes; ut ei, ut petijt, siquid opus erit, in sumptum erogat. Et ep. 6. Tironem uideo in sumptum ab alijs mutuatum. ego autem Curium nostrum, siquid opus esset, rogarem. malo Tironis uerecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curij. Et ad Tironem, ep. 9. Curio misi, ut medico honos haberetur,

beretur, & tibi daret, quod opus esset. **INNVMERABILIA** } ep. 3. 7. **SI recte erit,** } si ualebis.
 ep. 1. Cum meliuscule tibi esset. Ep. 22. Spero tibi melius esse. **QVAESTORE Mescinio** } qui post Ci-
 ceronem in Italiam uenit. ep. 20. de quaestoribus Ciceronis diximus ep. 3. lib. III. **DECURSIVVM.** }
 maritimo cursu ad me uenturum. **CONSULTO navigationi.** } ep. 7. Cum ualetudinis rationem ha-
 bueris, habeto etiam navigationis. Et ep. 3. Comites, & tempestates, & nauem idoneam ut habeas, diligen-
 ter uidebis. **NULLO loco** } dum mihi nullam seruiendi occasione praetermittis, ualetudini tuae ser-
 uire non potuisti. ep. 18. **LEPTA** } praefectus fabrum apud Curionem proconsulem. ep. 7. lib. III.

Argumentum ep. 7.

Rogat, ne quid omittat, quod ad recuperandam ualetudinem spectet.

Tullius, & Cicero, & Q. Q. S. D. Tironi. 7.

TERTIAM ad te hanc epistolam scripsi eadem die, magis instituti mei tenendi causa, quia natus eram, cui darem, quam quod haberem quid scriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiae. ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. cum uoletudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis. in Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem praetermitto. cura, cura te, mi Tiro. quando non contigit, ut simul nauigares; nihil est, quod festines: nec quidquam cures, nisi ut ualeas. Etiam atque etiam uale. VII. id. Nou. Actio, uesper.

EXPLANATIO

TERTIAM } primam, hoc initio, Varie: secundam, Vide. **EADEM die** } pro, Eodem die, con-
 tra Asconium, qui Diem feminini generis a Die masculini distinguit: ut illa sit tempus, hic XXIV. ho-
 rarum spatium. In ep. ad Q. fr. lib. III. Antiquior dies adscripta erat in tuis litteris, quam in Caesaris. Et
 Virg. lib. 2. Iamq. dies infanda aderat. Carisus eandem distinctionem Varroni tribuit: a quo ipse dissen-
 tiens adiungit: Quod nemo seruauit. **IGITUR illa,** } scribamus eadem, quae antea: quae mihi in pri-
 mis curae sunt. **INNVMERABILIA** } idem ep. 3. 6. **CUM uoletudinis rationem, ut spero, habueris,**
 habeto etiam navigationis. } ep. 4. Cum uoletudini tuae diligentissime consulueris; tum, mi Tiro, consulti-
 to etiam navigationi. **ACTIO,** } ad hoc Acarnaniae promontorium Antonius ab Augusto maritima
 pugna uictus.

Argumentum ep. 8.

Q. Cicero, quantae sibi Tironis uoletudo curae sit, amantissimis uerbis ostendit.

Q. Cicero S. D. Tironi. 8.

MAGNAE nobis est sollicitudini uoletudo tua. letudine uitatur; ne dum in mari, & uia sit facile abesse ab iniuria temporis. **Kηδυνα μὲν, χρονωτέρα δὲ** } nuntiant: tamen in magna consolatione ingens inest sollicitudo, si diutius a nobis absuturus es, is, cuius usum, & suauitatem desiderando sentimus. attamen, quamquam ui dere te tota cogitatione cupio; tamen te penitus rogo, ne te tam longae navigationi, et uiae perhiemem, nisi bene firmum, committas, neue nauiges, nisi explorate. uix in ipsis relictis, & opidis frigis infirma ualetudine uitatur; ne dum in mari, & uia sit facile abesse ab iniuria temporis. **Ψυχὸς δὲ λειπὼ χρωτὶ πολέμιώτατον,** } inquit Euripides. cui tu quantum credas, nescio: ego certe singulos eius uersus singula testimonia puro. Effice, si me diligis, ut ualeas, & ut ad nos firmus, ac ualens quamprimum uenias. **Amā nos, & uale.** Q. F. tibi salutem plurimam dicit.

EXPLANATIO

Kηδυνα μὲν, χρονωτέρα δὲ } tuta quidem, sed diuturniora: idest, te quidem non aegrotare periculose, sed morbum fore diuturniorem. **IN. MAGNA consolatione ingens inest sollicitudo,** } est quaedam non inuenusta figura, cum contrarium contrario iungitur, ut alterum altero leuetur. exemplum

plum extat ep. 9. lib. 1. In molestia gaudebam. Quo loco plura huius generis ostendimus. **SI DIV-
TIVS** a nobis absfuturus es, is, cuius usum &c. } eadem figura lib. 2. de orat. Quorum princeps Socrates,
is, qui &c. Et alibi. Vsum pro consuetudine poni, ut alijs quoque locis, quiuis, opinor, intelligit. **EX-
PLORATE.** } caute, dixit Cicero ep. 8. $\chi\upsilon\chi\omicron\varsigma$ de Frigus autem tenui cuti inimicissimum. Senarius Euri-
pidis; sed amissae tragaediae.

Argumentum ep. 9.

Navigationis descriptio, & ad curandam valetudinem benevolentiae
plena cohortatio.

Tullius, & Cicero S. D. Tironi suo. 9.

NOS a te, ut scis, discessimus ad IV. non. Nou.
Leucadem uenimus ad II. x. id. Nou. ad VII.
Actium. ibi propter tempestatem ad VI. id. morati su-
mus. inde ad V. id. Corcyram bellissime nauigauimus.
Corcyrae fuimus usque ad X. VI. Kal. Dec. tempestatibus
retenti. ad X. V. Kal. a portu Corcyraeorum ad Cassiopen
stadia C. X. X. processimus. ibi retenti uentis sumus usque
ad I. X. Kal. interea, qui cupide profecti sunt, multi nau-
fragia fecerunt. nos eo die cenati soluimus. inde, austro
lenissimo, caelo sereno, nocte illa, & die postero in Ita-
liam ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodemq.
uento posttridie (id erat ad VII. Kal. Dec.) hora quarta
Brundisium uenimus: eodemq. tempore simul nobiscum
opidam introiit Terentia, quae te facit plurimi. Ad
V. Kal. Dec. seruus Cn. Plancij Brundisij tandem ali-
quando mihi a te expectatissimas litteras reddidit, datas
idibus Nou. quae me molestia ualde lenarunt; utinam
omnino liberassent. sed tamen Asclapō medicus plane
confirmat, propediem te ualentem fore. nunc quidem ego
te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conua-

lescendum: tuam prudentiam, temperantiam, amorem
erga me noui. scio te omnia facturum, ut nobiscum
quamprimum sis: sed tamen ita uelim, ut ne quid prope-
res. symphoniam Lysonis uellem uitasses, ne in quartam
hebdomadem incideres. sed quando pudori tuo maluisi
obsequi, quam ualetudini; reliqua cura. Curio misi, ut
medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus esset:
me cui iussisset, curaturum. equum, & mulum Brundisij
tibi reliqui. Romae, uereor, ne ex Kal. Ian. magni tu-
multus sint. nos agemus omnia modice. Reliquum est,
ut te hoc regem, & a te petam, ne temere nauiges. solent
nautae festinare quaestus sui causa. cantus sis, mi Tiro.
mare magnum, & difficile tibi restat. si poteris, cum
Mescinio: (caute is solet nauigare) si minus, cum honesto
aliquo homine, cuius auctoritate nauicularius mouea-
tur. in hoc omnem diligentiam si adhibueris, teq. nobis
incolumem stiteris; omnia ante habeo. Etiam atque
etiam noster Tiro uale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi
diligentissime. Vale.

EXPLANATIO

AD. CASSIOPEN. } de quo loco Plinius & Strabo. **LYDIBVNDI** } ludentibus similes, na-
uigatione iucundissima. **CN. PLANCII** } pro quo extat oratio. **OMNINO liberassent.** }
quod esset factum, si te plane ualere significassent. **ASCLAPO** } quem Sulpicio commendat ep. 20.
lib. XIII. **SYMPHONIAM Lysonis uellem uitasses,** } συμφορῶν, est concinere: per translationem, ob-
sequi, ut hic. nam cum Tiro, in aliqua re ualetudini contraria, Lysoni eum inuitanti, obsecutus esset; uere-
batur Cicero, ne in quartam hebdomadem eius morbus perduceretur. nam eorum morborum, qui cito ter-
minantur, magna pars, uel secunda, uel tertia hebdomade finem inuenit, quod si qui ad quartam peruene-
rint, metuenda diurnitas. **HEBDOMADEM** } si hebdomadem, graeco more legas: Gellium cor-
rige, ubi legitur quibusdam locis, Hebdomada. & Hebdomadam. **PVDORI tuo** } qui te adduxit ad
Symphoniam Lysonis, idest ad obsequium. **CVRIO** } quem nominauit 1. 4. 6. 10. **MISI** } pro,
mandauit ep. 4. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret. ad Att. ep. 7. lib. XIII. Misi equidem ei nunciari, te
expectasse eius aduentum. **VI medico honos haberetur,** } de pecunia intellige, non de honore: unde Ho-
noraryum, praemium honoris causa datum. **EX. Kal. Ian.** } nouis tumultibus magistratum incuti-
bus. **MAGNI tumultus** } consulibus in eam curam una cum Pompeio contententibus, ut Caesari
Galliae ante decennij tempus, lege iam concessum, adimerentur, tribunis uero plebis pro Caesare pugnan-
tibus: quae belli ciuilis origo fuit. **AGEMVS omnia modice.** } sic, ut neque Pompeij, neque Caesaris
animum offendamus. **CAUTE** } explorate, dixit Q. Cicero, ep. 11. **HONESTO aliquo homine,** }
honesto, non ad mores, sed ad dignitatem refertur. **INCOLUMEM stiteris.** } recte alij uerbum, Stit-
teris, mutatione minima, cum sit in antiquis libris, steteris, repofuerunt. Sic ad Att. ep. 14. lib. X. Te ue-
getum nobis in Graecia siltē.

Argumentum ep. 10.

Rogat, ut praeter ualeitudinem nihil curet: addit de suo ad urbem aduentu, de statu reip. ciuilibus discordijs perturbato, de triumpho, de praefectura Campana. Lentulo, Marcello cos.

Tullius, & Cicero, Terentia, Tullia, Q. Q. S. D. Tironi. 10.

ETSI opportunitatem operae tuae omnibus locis desidero: tamen non tam mea, quam tua causa doleo te non ualere. sed quando in quartanam conuersa uis est morbi: sic enim scribit Curius: spero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. modo fac id, quod humanitatis tuae est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime conualescas. non ignoro, quantum ex desiderio labores: sed erunt omnia facilia, si ualebis. festinare te nolo; ne nauis molestiam suscipias aeger, & periculose hieme nauiges. Ego ad urbem accessi pridie non. Ian. obuiam mihi sic est proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius. sed incidi in ipsam flammam ciuilibus discordiae, uel potius belli: cui cum cuperem mederi, & ut arbitror, possem; cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. omnino & ipse Caesar, amicus noster, minaces ad senatum, & acerbas litteras miserat: & erat adhuc impudens, qui exercitum, & prouinciam inuito senatu teneret: & Curio meus illum incitabat.

Antonius quidem noster, & Cassius, nulla ui expulsi, ad Caesarem cum Curione profecti erant; postea quam senatus consulibus, praetoribus, tribunis pl. & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curarem, ne quid resp. detrimenti caperet. numquam maiore in periculo ciuitas fuit: numquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem. omnino ex hac quoque parte diligentissime comparatur. id fit auctoritate, & studio Pompeij nostri, qui Caesarem sero coepit timere. nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitauit triumphum: sed Lentulus cos. quo maius suum beneficium faceret, simul atque expedisset quae essent necessaria de rep. dixit se relaturum. nos agimus nihil cupide; eoq. est nostra plaris auctoritas. Italiae regiones descriptae sunt, qua quisque partem tueretur. nos Capuam sumpsimus. Haec te scire uolui. Tu etiam atque etiam cura ut ualeas; litterasq. ad me mittas, quotiescumque habebis cui des. Etiam atque etiam uale. Datum prid. id. Ian.

EXPLANATIO

ETIAM firmiorem fore. } quam fuisti ante morbum, hoc ideo dicit, qui petuitam, & melanchoniam humorem quartana febris exsiccat. Galenus in primo de arte ad Glauconem. **EX desiderio** } mei **LABORES**: } ep. I. Audio te animo angere, & modicum dicere, ex eo te laborare. **NAVSEAE**: } quae nauigando, praesertim insolentibus, & stomacho infirmis, excitatur. **AD urbem accessi**: } non enim urbem, nisi triumphans, ingredi uolebat. **CUPIDITATES certorum hominum**: } ep. II. Mirus inuaserat furor non solum improbis, sed etiam ijs, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil esse bello ciuili miserius. Et lib. IV. ep. I. Incideram in hominum cupidorum insanias. Et lib. ep. 6. Causa belli orta est: Quod ego praetermissi aut monitorum, aut querellarum? cum uel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferebam, uicta est auctoritas mea, non tamen a Pompeio, (nam is monebatur) Quam ab ijs, qui duce Pompeio freti, peropportuna & rebus domesticis, & cupiditatibus suis illius belli uictoriam fore putabant. **EXERCITVM, & prouinciam**: } quae senatus populisq. concesserant. **INVITO senatu**: } qui, coitione consulum, & Pompeij, decreuerat, ut Caesar, exercitu dimisso, prouinciam successori ante tempus traderet. Caesar lib. I. bel. ci. Suetonius, Plutarchus, Appianus, Dio, & alij. **CVRIO meus illum incitabat.**: } Velleius lib. 2. discussas ait, ac ruptas a Curione pacis condiciones, quas & Caesar iustissimo animo postulabat, & Pompeius aequo recipiebat. **ANTONIVS quidem noster, & Cassius**: } M. Antonius, Q. Cassius, tribuni pl. **NVLLA ui expulsi**: } immo expulsi, iniusto S. C. ut queritur Caesar lib. I. bel. ci. & Suetonius pullos plane ait. **CVM Curione**: } C. Curione, superioris anni tribuni pl. **NE quid resp. detrimenti caperet.**: } quo uno uersiculo summa in ciues potestas committebatur. uide orationem pro Deiotaro, Caesarem lib. I. bel. ci. Sallustium in Catil. **PARATIOREM ducem.**: } Caesarem laudat innitus, ut ep. 9. lib. IIX. ad Att. Hoc τρέφας horribili uigilantia, celeritate, diligentia est. **COMPARATVR**: } quidquid ad bellum pertinet. **SERO coepit timere**: } cum cum ipse aluisset. quod saepe queritur Cicero. **FLAGITARET**: } a consulibus, ut referrent. **LENTVLVS**: } cognomento Crus, uel Cruscellus. ep. 4. lib. IIX. **NIHIL cupide**: } de rep. ut arbitror, potius, quam de triumpho. quod ex uerbo sequenti, Auctoritas, intelligitur, & ex eo, quod in epistola superiore dictum est: Romae, uereor, ne ex Kal. Ian. magni tumultus sint. nos agemus omnia modice. Aut igitur haec temperantiae significatio ad remp. non ad triumphum, aut ad utrumque simul spectat. **NOS Capuam sumpsimus.**: } ep. II. Ego adhuc orae maritimae praefum a Formijs. nullum maius negotium suscipere uolui. Et ad Att. ep. II. lib. VII. Ego negotio praefum non turbulento. uult enim me Pompeius esse, quem tota haec Campana, & maritima ora habeat. ἐπιδοκίμην, ad quem delectus, & summa negotij referebatur.

Argu-

Argumentum ep. II.

D Eplorat statum reip. & initia bellorum civilium exponit, tum suam in Tironem benevolentiam significat.

Tullius S. D. Tironi suo.

II.

QUO in discrimine ueretur salus mea, & bonorum omnium, atque uniuersae reip. ex eo scire potes, quod domos nostras, & patriam ipsam uel diripiendam, uel inflammandam reliquimus. in eum locum res deducta est, ut, nisi quis deus uel casus aliquis subueniret, salui esse nequeamus. equidem, ut ueni ad urbem, non desisti omnia sentire, & dicere, & facere, quae ad concordiam pertinerent. Sed mirus inuaserat furor non solum improbis, sed etiam ijs, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante nihil esse bello civili miserius. itaque cum Caesar amentia quadam rape retur, & oblitus nominis, atque honorum suorum, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Arretium occupasset; urbem reliquimus; quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare. quo quidem in casu simus, uides. feruntur omnino condiciones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam: deletus qui sunt habitus, & praesidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam Domitio, citiorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad consulatus petitionem se uenturum: neque iam uelle absentis rationem haberi sui: se praesentem triumphum petiturum. accepimus condiciones, sed ita, ut remoueat praesidia ex ijs locis, quae occupauit; ut sine metu de his ipsius condicionibus Romae senatus haberi possit. id ille si fecerit, spes est pacis, non honestae, (leges enim imponuntur) sed quiduis est melius, quam sic esse, ut sumus, sin autem ille suis condicionibus stare uoluerit; bellum paratum est, eiusmodi tamen, quod ille sustinere non possit, praesertim cum a suis condicionibus ipse fugerit: tantum modo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere: quod sperabamus fieri posse. deletus enim magnos habebamus: putabamusque illum metuere,

si ad urbem ire coepisset, ne Gallias amitteret, quas abbas habet inimicissimas praeter transpadanos. ex Hispania sex legiones, & magna auxilia, Afranio, & Petreio ducibus, habet a tergo. uideretur, si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salua. maximam autem plagam accepit, quod is, qui summam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit, reliquit illum, & nobiscum est: multiq. idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc orae maritimae praesum a Formijs. nullum maius negotium suscipere uolui, quo plus apud illum meae litterae, cohortationesq. ad pacem ualerent. sint autem erit bellum; uideo me castris, & certis legionibus praesuturum. Habeo etiam illam molestiam, quod Dolabella noster apud Caesarem est. Haec tibi nota esse uolui: quae, caue, te perturbent, & impediant ualitudinem tuam. Ego A. Varroni, quem cum amatissimum mei cognoui, tum etiam ualde tui studiosum, diligentissime te commendauit; ut & ualitudinis tuae rationem haberet, & nauigationis; & totum te susciperet, ac tueretur, quem omnia facturum confido: recepit enim, & mecum locutus est suauissime. Tu quando eo tempore mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam, & fidelitatem desiderari tuam; caue festines, aut committas, ut aut aeger, aut hieme nauiges. numquam ego sero te uenisse putabo, si saluus ueneris. adhuc neminem uideram, qui te postea uidisset, quam M. Volusius, a quo tuas litteras accepi. quod non mirabar. neque enim meas puto ad te litteras tanta hieme perferri. sed da operam, ut ualeas: & si ualebis, cum recte nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia, & Tullia Romae. Cura ut ualeas. i. v. Kal. Febr. Capua.

EXPLANATIO

DOMOS nostras, & patriam ipsam uel diripiendam, uel inflammandam reliquimus. } ep. i. lib. i. v. Verberum relictae direptioni, & incendijs. Hoc Pompeij consilium, de urbe relinquenda, saepe reprehendit Cicero, ut ep. 16. lib. 2. & ad Att. ep. 10. lib. vii. & alibi. non enim aggregare placet exemplorum copia. **MIRVS furor** } ep. 10. Cupiditates certorum hominum &c. **IMPROBIS**, } Inuado, cum dandi casu, ut hic, apud Sallustium, Varronem, Attium; cum accusandi casu, addita praepositione, In, saepe apud Ciceronem; sine praepositione, apud eundem, sed raro; nullo casu, apud Terentium: An morbus inuasit? **A MENTIA** } qui a rep. desciscunt, amentes, insani, furiosi dicuntur. Infra: Videtur, si insaniet, posse opprimi. **HOMINIS** } quod antea magnis rebus pro rep. gestis adeptus est. **HONORVM** } ep. 9. Cum Caesar, singularibus ornatus, & nouis honoribus, ad eam causa accesserit. Quo loco supplicationes, nouo numero auctae, significantur. hic autem non tam supplicationes, quam magistratus, & imperia. **QVAM sapienter, aut quam fortiter**, } id est, nec sapienter, nec fortiter. **HISPANIAM**, } Pompeij prouinciam. quod Cicero, uitandi belli civilis causa, censuit. ep. 6. lib. vi. Eundem in Hispaniam censuit: quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. Hac de re in epistolis ad Att. & in omnibus fere historijs. **DOMITIO** } L. Domitio Ahenobarbo, Caesaris inimico, quem Suetonius ait successorem & per tumultum esse nominatum. Consul fuerat cum Ap. Claudio. **CONSIDIO** } Q. Confidius senem nominat ep. 24. lib. 2. ad Att. **NONIANO** } ex Nonia gente in Confidiam adoptato. Hic nondum

rum consul fuerat: itaque Gallia citerior praetoria facta prouincia. AD *consulatus* } secundi, quem gestitum P. Seruilio, Isaurici filio. ABSENTIS *rationem haberi sui*: } quod ei lege permissum erat, ipso Pompeio consule pugnante. uide ep. 6. lib. VI. ut omittam historias omnes. Hic a vulgatis libris antiqui dissentiunt, nam pro, sui, omnes habent suam: pro Absentis, nonnulli, Absentese. TRINUNDINUM } Lex, ad populum ferenda, promulgabatur prius, ut per trium nundinarum spatium populo pateret; quo posset, lege satis considerata, quid sentiret; suffragijs ostendere. Eadem, opinor, in magistratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant: ut populus, de quibus suffragiū laturus esset, tanto ante nosset. Atque hic, Trinundinum, pro, Trinundini spatio, dictum puto, ut Phil. 5. Promulgatio trinundinum. Et pro domo: sit accusatio trinum nundinum. Ibidem: si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum: nihil reprehendo. Pro C. Cornelio, apud Priscianum: Ex promulgatione trinundinum dies, potestasq. uenisset. Et Varro *πεγοτροδι σαυαλο*: Rusticus Romanus internundinum barbam alebat. pro, internundini spatio. seruari a se uelle consuetudinem ueterem in petendo, modo Pompeius iret in Hispaniam, Caesar ostendebat. UT *remoueat praesidia ex ijs locis, quae occupauit*: } occupauerat Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium. supra, & Caesar lib. I. bel. ci. SIC *esse, ut sumus*. } uagi, relicta patria, in summo discrimine. supra: Domos nostras, & patriam ipsam uel deripiendam, uel inflammandam reliquimus. PRAETER *Transpadanos*. } quibus Caesar & aedilis, & consul ciuitatem dare cogitauerat: quod postea dictator effecit. Dio. Transpadanos autem Caesar studuisse, auctor est Cicero ep. 7. lib. VII. ad Att. & ep. 2. lib. V. ad eundem. AFRANIO & Petreio } legatis Pompeij, quos postea Caesar deuicit. MODO *ut urbe salua*. } timebat propinquum malum: ne Caesar, priusquam opprimeret, urbem uel diriperet, uel inflammaret. ideo proxime dixit: Tantummodo ut eum intercludamus, ne ad urbem possit accedere. T. LABIENVS, } Aliae gentis, plebeiae: qui cum legatus Caesaris in Gallia res praeclaras gessisset, postea, Pompeium secutus, nihil parua gloria dignum administrauit. ep. 14. lib. XIV. Labienus rem meliorem fecit. Et ad Att. ep. 13. lib. VII. Labienum *ἡρωα* iudico. facinus iamdiu nullum ciuile praeclearius: qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem: sed etiam ad summam profectum aliquod puto. Idem alij. ORAE *maximae*, } uide ep. 10. & ad Att. ep. 11. lib. VI. A FORMIIS, } praefecturae meae primum opidum Formiae sunt. NULLVM *maius negotium suscipere uolui*. } ep. 7. lib. IV. Neque tu multum interfuisti rebus gerendis; & ego id semper egi, ne interessem. Ep. 6. lib. VI. susceptum bellum est, quiescente me. VIDEO *me castris, & certis legionibus praesitutum*. } non praesuit, ac ne interfuit quidem Pharsalico proelio. ep. 18. lib. IX. In acie non fui. De Diuina. lib. I. Plutarchus. DOLABELLA *noster* } sic ep. ult. lib. VII. Cassius tuus, & Dolabella noster. Noster autem, quia gener. ep. 16. lib. 2. ep. 12. lib. IX.

Argumentum ep. 12.

Narrat, quam Tironi periculosum sit, post morbum in uiam se dare: & eius operam in studijs exigit.

Tullius S. D. Tironi. 12.

EGO uero cupio te ad me uenire: sed uiam timeo. grauissime aegrotasti: inedia, & purgationibus, & ni ipsius morbi consumptus es. graues solent offensiones esse ex grauibz morbis, si quae culpa commissa est. iam, ad id biduum, quod fueris in uia, dum in Cumnum uenis, accedent continuo ad reditum dies quinque. ego in Formiano ad III. Kal. esse uolo. ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. litterulae meae, siue

nostrae, tui desiderio oblanguerunt; hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerunt. Pompeius erat apud me, cum haec scribebam. hilare, & libenter ei cupienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. tu, mihi nostris, para ut operas reddas. nostra ad diem dictam fient. docui enim te, fides est tuorum quod haberet. Fac plane ut ualeas: nos ad summum. Vale. XIY. Kal.

EXPLANATIO

EGO. VERO } Vero, in principio epistolae, responsonem significat. ep. 23. & lib. IV. ep. 6. lib. VII. ep. 30. lib. IX. ep. 5. HAC *tamen epistola*, } in qua, te satis belle habere, significas. ACASTVS } seruus. ep. 1. 14. OCULOS *paulum sustulerunt*. } contrarium contrario reddidit, quia dixerat, oblanguerunt. nam languore oculi demittuntur. POMPEIUS } obierat iam Pompeius Magnus, quem Cicero, cum non addit praenomen, significare solitus est. itaque, Pomponius pro Pompeius, reponendum esse, iam pridem suspicatus sum. non enim, Pompeio Magno mortuo, quemquam praeterea Pompeium ita Ciceroni familiarem inuenimus, ut, praenomine omisso, tamen indicaretur. CUPIENTI *audire nostra*, } an aliquid scriberem. MUTA *esse*, } tacere enim litterae uidentur, cum nihil scribimus. In Bruto: Quod huic debes, ego a te peto. Quid nam id, inquam? Ut scribas, inquit, aliquid. iam pridem

Gggg

pridem enim conticuerunt tuae litterae. Et lib. 2. Off. Cum resp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet litterae conticuerunt, forenses & senatoriae. **MVSIS nostris,** } communem a nobis operam exigentibus. **OPERAS** } quas praebere consuesti. **RENDAS,** } intermissas tuo morbo. **NOSTRA** } quae ad me pertinent, quae me esse facturum tibi promisi. Manumissio significatur. ep. 14. **DOCUI enim te, fides** ἐρύμων quod haberet. } docui te, Fidem inde dictam, quia fiat id, quod promittitur. lib. 1. de Off. Docui tamquam magister. ep. 3. si nos amas, & praecipue me, magistrum tuum. ἐρύμων, notationem, quod rem, de qua praedicatur, ut ait Boetius, notam faciat.

Argumentum ep. 13.

Suam de Tironis ualeitudine sollicitudinem significat.

Tullius S. D. Tironi. 13.

AEGYPTA ad me uenit pridie id. Apr. is est mihi nuncianit te plane febrī carere, & belle habere: tamen, quod rogauit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, & eo magis, quod Hermia, quem eodem die uenire oportuerat, non uenerat. incredibili sum sollicitudine de tua ualeitudine: qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si iam putarem libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego

maximi facio, confer ad te mihi, tibiq. conseruandam. cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta iam epistola, Hermia uenit. accepi tuam epistolam uacillantibus litterulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Aegyptam misi, quod neo inhumanus est, & te uisus est mihi diligere; ut is tetum esset; & cum eo coquum quo uterere. Iterum uale.

EXPLANATIO

AEGYPTA } nomen serui. ad Att. ep. 15. lib. 1x. Misit ad Tironem Cicero quinque seruos suos, ut & ben euolentiam in eum ostēderet, & de eius ualeitudine certior fieri posset. Marionem primum, ep. 3. deinde Menandrum, ep. 15. postremo Hermiam & coquum, ep. 13. Acastum autem non misit, sed cum eo reliquit, ep. 1. **BELLE habere:** } ep. 9. lib. 1x. Terentia minus belle habuit. **OMNI cura liberabo.** } manumittam te. ep. 12. 14.

Argumentum ep. 14.

Tirone aegrotante, litterarum suauitate, & fructu se carere dicit, eumq. rogat, ut omnem curam ad conualescendum adhibeat.

Tullius S. D. Tironi. 14.

MENANDRVS postridie ad me uenit, quam expectaram: itaque habui noctem plenam timoris, ac miseriae. Tuis litteris nihilo sum factus certior, quo modo te haberes: sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione, litterisq. omnibus careo: quas ante, quam te uidero, attingere non possum. Medico mercedis quantum poscet, promitti iubero. id scripsi ad Munium. Audio te animo анги, & medicum dicere, ex eo te la-

borare. si me diligis, excita ex summo tuas litteras, humanitatemque, propter quam mihi es carissimus. nunc opus est te animo ualere, ut corpore possis. id cum tua, tum mea causa facias, a te peto. Acastum uenit, quo commodius tibi ministretur. conserua te mihi. dies promissorum adest: quem etiam repraesentabo, si aduenieris. Etiam atque etiam uale. 111. id. hora 111.

EXPLANATIO

ANDRICVS } non dubito, quin hic sit idem, qui Menander in epistola 15. nominatur. itaque cum putarem, uel in ea epistola, Andrici, non Menandri, uel in hac, Menandrus, pro, Andricus, reponendum esse: consului ueteres libros: quorum in uno corrupte quidem, unde tamen ueritas elici potest, Atandrius; in altero, Mandricus, in tertio, clarissimis litteris, Menandrus, legitur. utroque enim modo Menandrus, & Menander, usitate dicitur. Propertius lib. 111. & xxi.

Librorumq.

Librorumq. tuos docte Menandre sales. Et Ovidius:

Dum fallax seruus, durus pater, improba lena,
Vixerit, & meretrix blanda, Menandrus erit.

Ex hoc loco non unum, aut alterum, quod saepe iam dixi, sed multos ad tollenda menda inspiciendos esse ueteres libros, plane constat. nam in quibusdam, etiam antiquitate celebritatis, legitur, Andricus. **HABUI** noctem plenam timoris, ac miseriae. } sic lego, ex ueteribus aliquot libris. placere alijs uideo: Habui noctem plenam timoris. ac miseriae: tuis litteris nihil sum factus certior, quo modo te haberes: sed tamen sum recreatus. Quod minime placet. Quo modo enim miseria maior est, quae nascitur ex litteris Tironis; cum ijs acceptis, recreatum se dicat, id est priore miseria liberatum, aut certe ualde leuatum? **MEDICO**, } Asclaponi. ep. 9. & lib. XIII. ep. 20. **MERCEDIS**. } hoc est, quod dixit ep. 4. Medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Et ep. 8. Curio misi, ut medico honor haberetur. **Id scripsi ad Mumium**. } ueteres libri uarie, Mumium, Munium, Numium, Nummum, Vatinium, Vmmium, omnes, ut ego suspicor, mendose. Quis enim iste est uel Vmmius, uel Mumius, uel Munius, uel Numius, uel Nummus, uel Vatinius, a quo pecuniam medico promitti Cicero uult? is enim nusquam neque in his ad Tironem, neque in ijs, quae ad Atticum scriptae sunt epistolis nominatur. ad Curium quidem se scripsisse, ut Tironi, quidquid opus esset, in sumptum erogaret, utique significat, ut ep. 6. Scripsi ad Curium, quod dixisse, daret. medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Et ep. 9. Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset. Et ad Att. ep. 5. lib. IX. Fasciculum, qui est M' Curio inscriptus, uelim cures ad eum perferendum; Tironemq. Curio commendes; ut ei, ut petijt, si quid opus erit, in sumptum erogat. Et ibidem ep. 6. Tironem uideo in sumptum ab alijs mutatum. ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. Quare uidetur in hac etiam ad Tironem epistola Curius omnino significari. & ut dicam quod sentio, legendum opinor sic: Id scripsi ad Manium: mutatione fere nulla: cum in uetere libro scriptum sit, Munium. fuisse autem Manius, Curio rem praenomen, nemo fere paullo eruditior ignorat. Nec mirum uideatur, solo praenomine quemquam indicari. nam, cum ad Tironem saepe Cicero de Curio, & hac ipsa de re, scripsisset: praenomen poni, cum de homine notissimo loqueretur, satis esse duxit: ut interdum Seruium, Appium, Sextum nominat, neque addit, Sulpicium, Claudium, Peducaeam. Praenomen autem Manius, quia non admodum erat usitatum, iccirco librariorum incuria saepe transijt in Marcus, eo facilius, quod M', quo Manius ostenditur, minimum distat a M. Hinc M. Acilius Glabrio, M. Aquilius, M. Curius, mendose ubique pro M'. quod mendum sustulimus. ex ep. 17. lib. XIII. & ad Att. ep. 2. 3. lib. VII. & ep. 5. lib. IX. ad eundem. Ex eo te laborare. } ep. 10. Non ignoro, quantum ex desiderio labores. **HUMANITATEM Q.** } non dubito, quin humanitatem hic Cicero, non pro facilitate quadam, & beneuolentia erga homines, sed pro eruditione posuerit: ut lib. 1. de Orat. In omni recto studio, atque humanitate uersarentur. lib. 2. Homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium litterarum, & politioris humanitatis experti. In Verrem: Tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris intelligis & iudicas? Gellius autem lib. XII. cap. 16. Qui uerba, inquit, Latina fecerunt, quique ijs probe usi sunt, Humanitatem non id esse uoluerunt, quod uulgus existimat, quodq. a Graecis *φιλανθρωπία* dicitur, & significat dexteritatem quandam, beneuolentiamq. erga omnes homines promiscuam; sed humanitatem appellauerunt id prope modum, quod Graeci *παιδεία* uocant, nos eruditionem institutionemq. in bonas artes dicimus; quas qui sinceriter cupiunt, appetuntq. ij sunt uel maxime humanissimi. huius enim scientiae cura, & disciplina ex uniuersis animantibus uni homini data est. iccircoq. humanitas appellata. sic igitur eo uerbo ueteres esse ufos, & cum primis Varronem, & Tullium, omnes ferme libri declarant. quamobrem satis habui unum interim exemplum afferre. itaque uerba posui Varronis e libro rerum humanarum primo: cuius principium hoc est: Praxiteles, qui propter artificium egregium, nemini est, paulum modo humaniori: ignitus. **ANIMO ualere**, } quo non ualet, qui angitur, ep. 10. Non ignoro, quantum ex desiderio labores. **DIES promissorum adest**: } manumissionem significari puto, ut etiam ep. 12. Nostra ad diem dictam fient. docui enim te, Fides *ἔτιμον* quod haberet. Et ep. 13. Ego te omni cura liberabo. **PRESENTABO**, } non expectabo diem dictam: manumittam te etiam ante, si adueneris.

Argumentum ep. 15.

Cohortatio ad ualetudinem curandam.

Tullius S. D. Tironi. 15.

OMNIA a te data mihi putabo, si te ualentem ualeas: & cum te bene confirmaris, ad nos uenias. Ouidero. Summa cura expectabam aduentum Vale. IV. id. Apr. Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut

EXPLANATIO

MENANDRI, } serui, quem ad Tironem miserat, ut antea quoque Marionem.

Argumentum ep. 16.

Q. Cicero Marco fratri, de Tirone manumisso, & gratias agit, & gratulatur. Haec epistola aut eodem tempore, quo ea, quae incipit, Quid igitur? aut paullo post, uel ante uidetur esse scripta: cum utraque Tironem paullo ante manumissum significet.

Quintus S. D. Marco fratri. 16.

DE Tirone, mi Marce, ita te, meumq. Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumq. filium uideam, ut mihi gratissimum fecisti, cum eum indignum illa fortuna nobis amicum, quam seruum, esse maluisti. mihi crede, tuis, & illius litteris perlectis, exsilii gaudio: et tibi & ago gratias, & gratulor. si enim mihi Statij fidelitas est

tantae uoluptati: quanti esse in isto haec eadem bona debent, additis litteris, sermonibus, humanitate, quae sunt his ipsis commodis potiora? amo te omnibus equidem maximis de causis, uerum etiam propter hanc, uel quod mihi sic, ut debuisti, nunciasti. te totum in litteris uidi. Sabini pueris & promisi omnia, & faciam. Vale.

EXPLANATIO

INDIGNVM illa fortuna, } indignum, qui seruiret. **AMICVM,** } manumissus enim, incipit esse in amicorum numero. **EXSILII gaudio,** } Alibi, Exsultat gaudio, uel exsultat, simpliciter. ad Att. lib. VII. ep. 2. Quo modo exsultat Catonis in me ingratisimi iniuria? ep. 9. lib. 2. Incessi omnibus laetitij. **ET ago gratias, & gratulor.** } haec interdum coniunguntur, ut ep. 9. lib. 2. Cum gratulor, tum uero, quibus uerbis tibi gratias agam, non reperio. **STATIJ** } a Q. Cicrone manumissi, ep. 18. 19. lib. 2. ad Att. & ep. 2. lib. 1. ad Q. F. **FIDELITAS** } differre arbitror fidelitatem a fide: ut fides in mente sit, fidelitas re declaretur. propterea Plautus Trin. Probo, & fidei, & fido, & cum magna fide. **HIS ipsis commodis,** } fidelitate: de qua dixit iam, Haec eadem bona: quasi in una fidelitate multa commoda, multaq. bona sint. **PROPTER hanc,** } quod Tironem liberaueris. **VEL quod** } hoc etiam nomine. Tale illud ep. 13. lib. 2. Vel quas proxime acceperam, quam multi, & officij & consilij. Et ep. 24. lib. VII. Vel quas proxime de Tigellio. **SIC,** } uerbis laetitiam significantibus: ut plane te totum in litteris uiderim. **SABINI** } cognomen Romanae familiae. ep. 20. lib. XV. **PVERIS** } seruis.

Argumentum ep. 17.

Reprehendit, modeste tamen, Tironem, quia scripserat, Valetudini fideliter inseruiendo: eumq. rogat, ut omnino ualetudini seruiat.

Tullius S. D. Tironi. 17.

VIDEO quid agas. tuas quoque epistolas uis referri in uolumina. sed heus tu, qui xavw esse meorum scriptorum soles, unde illud tam ἀνεγορ, Valetudini fideliter inseruiendo? unde in istum locum, Fideliter, uenit? cui uerbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae. nam & doctrina, & domus, & ars, & azer etiam fidelis dici potest: ut sit, quo modo Theophrasto placet, uerecūda translatio. Sed haec

coram. Demetrius uenit ad me. quo quidem comitatur ἀφωκίλνωσα, satis scis. tu enim uidelicet non potuisti uidere: cras aderit: uidebis igitur: nam ego hinc perendite mane cogito. Valetudo tua me ualde sollicitat: sed inserui, & fac omnia. tum te mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato. Cuspicio quod operam dedisti, mihi gratum est: ualde enim eius causa uolo. Vale.

EXPLANATIO

VIDEO, quid agas. } opinor hoc significari: Tironis epistolas ita diligenter scriptas esse, ut cupere uideretur, eas quoque in uolumina referri. De uoluminibus ep. 7. lib. III. **TUAS quoque,** } ita ut

ita ut meae referuntur. Fuit enim haec ipsius Tironis opera: quod & Nepos in Attici uita ostendit: & Cicero ipse ep. 4. lib. XVI. ad Att. negat quidem eas a se in uolumina referri, a Tirone tamen ait aliquot seruari. Mearum, inquit, epistolarum nulla est *σωαγωγῆ*: sed habet Tiro instar septuaginta. & quidem sunt a te quaedam sumendae. eas, ego, oportet, perspiciam, & corrigam: tum denique edentur. *καίων* } regula. utrum hoc ad iudicium Tironis, qui scripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam corrigere solitus esset, an ad diligentiam pertinet, qui summam in ijs custodiendis ordinandisq. curam poneret? ad iudicium potius, ut opinor: quod indicant ea, quae sequuntur. miratur enim Cicero, parum apte translato uerbo Tironem usum esse, quo iudice suis in usum esse, quem ipse iudicem suis in scriptis habere consueuisset. *Ἀκυρον* } improprium, alieno loco positum. VERECUNDA *translatio*, } ut in suum locum uerba immigrasse, non in alienum irruisse uideantur: quod ait Cicero lib. III. de Orat. & in Bruto, uide Arist. de Arte poetica, & lib. III. Rhetoricorum. DEMETRIVS } is de quo ep. 17. 19. QVO quidem comitatu *ἀφομιλῶσα*, satis scis. } qui uident acutius, ijs examinandum hunc locum relinquo. nam mihi quidem tenebrae sunt. putauit interdum, *ἐφομιλῶσα*, legendum: pro, usus: uerbo composito ab *ὄμι*, & *ὄμιλέω*.

Argumentum ep. 18.

Cum epistolam suam Cicero, post manumissum Tironem, inscripisset hoc modo: M. Tullius Cicero M. Tullio Tironi; ueritus inuidiam Tiro, non sic inscribendum, sed ut ante manumissionem, respondit. Cicero non esse mutandam inscriptionem contendit, quin etiam addendum, suo: quod maioris etiam esset beneuolentiae signum. Tironi melius esse factum, gratulatur: eumq. rogat, ut ualeitudini prorsus indulgeat, & alia quoque breuiter attingit.

Tullius S. D. Tironi. 18.

QVID igitur? non sic oportet? equidem censo sic, addendum etiam, suo. sed, si placet, inuidia uitetur; quam quidem ego saepe contempsi. Tibi *διαφύγειν* gaudeo profuisse. si uero etiam Tusculanum; diu boni, quanto mihi illud erit amabilius. sed, si me amas; quod quidem aut facis, aut perbelle simulas; quod tamen in modum procedit; sed, ut est, indulge ualeitudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. ea quid postulet, non ignoras. *πέψιν, ἀκοπίας, πει, ἰπατον σύμμετρον, τέρψιν, ἄλλοσι τὰ κοιλίας.* fac bellus reuertare. non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ip-

se conducat: sic olitorem ipsum commouebis. helico nequissimus H-S CC dabit, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. iste nos tanta impensa derideat? calface hominem, ut ego M. Othonem: itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquae, tamen uelim scire. Horologium mittam, & libros, si erit sudum. sed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophoclenum? fac opus appareat. A. Ligurius, Caesaris familiaris, mortuus est, bonus homo, & nobis amicus. Te quando expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

EXPLANATIO

NON sic oportet? } inscribi epistolas meas. *Διαφύγειν* } animi relaxationem. Alibi est, ut medici loquuntur, euaporatio. sic *διάχυσις*, proprie cum sit humorum diffusio, accipi tamen interdum non modo a Graecis, uerum etiam a Latinis, ut a Coelio Aureliano, pro exhilaratione, solet. TUSCULANVM } quo se Tiro contulerat, animi, & ualeutinis caussa. si tibi, inquit, Tusculanum quoque profuerit, item ut profuit *διαφύγεισις*, cum ex urbe exijsti: longe mihi erit amabilius, quam antea. IN modum procedit; } satis procedit. nam ego uere existimo me a te amari. Modus moderatum quid ostendit: unde Modice. propterea interdum dicitur, Mirum in modum, Maiorem in modum, & similia. VT. EST, } malim, Vt ut est: pro, quoquo modo res se habet: siue me uere amas, siue simulas. nam, Vt est, Quo modo est, Quo modo se res habet, affirmare uidentur, & praesentem rei statum indicare. Cicero autem hic iocans dubitare se fingit. INDVLGE } indulgere, est nimium obsequi, plus concedere, quam debeat: ut ep. 4. lib. x. ad Att. Q. filius indulgentia nostra deprauatus, eo progressus est, quo non audeo dicere. Et ep. 6. ibidem, Pater, nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. Est etiam filij in patrem laudabilis indulgentia, in lib. III. Off. Qui perindulgens in patrem, idem acerbe seuerus in filium. CUI quidem adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. } ep. 6. Adhuc, dum mihi nullo loco deesse uis, numquam te confirmare potuisti. *πέψιν, ἀκοπίας, πει, ἰπατον σύμμετρον, τέρψιν,*

ἄν, ὀλιτοῦ καὶ ὀλιτοῦ. } concoctionem, uitationem lassitudinis, ambulationem moderatam oblectationem facilitatem alui. **BELLVS** } recuperata ualetudine. ep. 14. Belle habere. **NON modo re,** } qui, pro amore in me tuo, diligentiam omnem ad conualescendum adhibueris. **TUSCVLANVM** } in quo morbum depuleris. **PLVS amem** } pro, plus amabo. Paulo ante: Quanto mihi illud erit amabilius. **PARHEDRVM** } proprie, *πάρεδρος*, Accessor est: transfertur ad alia, & consiliarium, aut custodem significat. fortasse loquitur Cicero de olitoris uicino. **HORTVM** } in agro Tusculano, ubi Tiro erat. **IPSE conducat** } conducere hortum in Tusculano, possessum a quodam olitore, Cicero cupiebat, ille nimium petebat: ut fere fit, empturis, aut conducturis aliquid ijs, qui opibus abundant, fallere igitur olitorem Cicero non uellet; parhedrum, hominem non diuitem, uicinum olitoris, uel suum, qui hortum ipsum minoris conduceret, deinde Ciceroni traderet, summittendum cogitabat. **OLITOREM** } de quo ep. 17. **COMMouEBIS.** } calfacies. hoc enim uerbo infra uitur in eadem sententia. Commouebis olitorem. Opinor, dictum, pro molestia illum afficies: nam calfacere, id ualet hoc in loco: ut ep. 9. lib. 11X. Si Parthi uos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigeſcimus. Et ep. 2. lib. 111. Gabinius ad populum luculente calefecerat Memmius. **HELICO** } sic ueteres libri omnes; & opinor, mendose, obscure quidem certe. obscura autem omnia si mutare conemur, ultro implicabimur difficili cura, nec semper necessaria. **NE QVI SIMVS** } qui rem familiarem temere dissipat. **H-S ∞** } sestertium mille, nostratis monetae scutatis triginta. **DABAT** } reprehendit Cicero nequitiam illius heliconis, qui pro eodem horto, quem ipse conducere uolebat, dederat olim scutatos annuos triginta. ex quo olitor in spem uenerat, non minus Ciceronem daturum. Fortasse etiam alio de horto, quem Helico ille magna mercede conduxerat, loquitur Cicero: cuius exemplo uelle dicit insanire, neque passurum, ut ab olitore tanta impensa, id est tanta mercede horto illo conducto, derideatur. atque in hanc opinionem conuenio libentius, quia uerisimile non uidetur, eum hortum Ciceronem conducere uoluisse, qui nec aprius esset, & careret emissario, maceria, casa. **CALFACE** } commouere. loquitur enim de olitore: de quo dixit iam: Olitorem ipsum commouebis. **VT EGO** } calfecit. **M. OTHONEM** } Mithonem, antiqui libri omnes. placet uel M. Othonem, cuius crebra mentio lib. XII ad Att. uel, Mithonem, eum fortasse, qui nominatur ep. 25. lib. 1X. uel Motonem, de quo ep. 50. ad Att. lib. XII. uel Mutonem in oratione pro Fundanio. **ABVTOR coronis.** } mihi ab olitore donatis. Abutor autem, quia calefieri eum a te uolo. in quo uideor ei malam gratiam referre. **DE CREBRA,** } agri Tusculani aqua. In Rullum or. 3. Ego Tusculanis pro aqua Crabra uectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: Si Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem. Et Frontinus de aquae ductu. **SVDVM** } serenum tempus, quasi sine udo. **PANGIS** } scribis. de uersibus dictum, non de soluta oratione. putat Festus, & Probus. Cicero tamen ep. 6. lib. 2. ad Att. ad orationem solutam, nisi fallor, transtulit. **Αρέδρα,** inquit, a nobis, quae tibi uni legamus. Theopompino genere, aut etiam asperiore multo, pangetur. Proprie, Pangere, est figere. unde pangere clauum, plantam, stylum in cera. inde factum, ut, Pangere, sit scribere: quia uersus in cera pangebantur. **SOPHOCLEVM?** } simile Sophoclis uersibus, qui excellent inter alios. unde Virgilius: Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. **FAC opus appareat.** } fac ut uideam. Opus est id, quod post operam remanet, ut ex aliqua re quasi fructus enascitur. itaque interdum libri, opera dicuntur, ut hic: quia fructus otij significatur. & ad Att. ep. 6. lib. 2. Tibi superioribus litteris promiseram, fore, ut opus existeret huius peregrinationis. & lib. 111. de Off. Nulla eius ingenij monumenta, mandata litteris, nullum opus otij, nullum solitudinis munus exstat. Accipitur igitur pro quacumque re, quae post operam exstat, non simpliciter pro eo, quod scribitur. itaque male latine loquitur, qui, Platonis opera, dicunt. **A. LIGURIVS,** } is est, de quo ep. 9. lib. XI. ad Att. **EXSPECTEMVS** } Romae.

Argumentum ep. 19.

De litteris, de Demetrio, de Aufidiano nomine.

Tullius S. D. Tironi. 19.

EXSPECTO tuas litteras de multis rebus, te te hortor: scio tibi curae esse: sed confice: et si ob eam rem ipsum multo magis. Demetrium redde nostrum, moraris, accipio causam: si te id non tener, aduola. Litteras tuas ualde exspecto. Vale.

EXPLANATIO

DEMETRIVM } de quo ep. 17. 22. **REDDE nostrum,** } sic locutus ep. 32. lib. VII. Dolabelam redde plane meum. **DE Aufidiano nomine,** } ut exigas ab Aufidio, quod debet.

Argu-

Argumentum ep. 20.

DE ualitudine curanda, de libris componendis, de olitore, de reditu Tironis.

Tullius S. D. Tironi. 20.

SOLLICITAT, ita uiuam, me tua, mi Tiro, *dum est. Cum olitore, ut uidetur. Tu potes Kalendis* *expectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo.* *adhibueris, cito te firmum fore. libros compone, indicem,* *uerum, ut uidebitur. Cura te, si me amas, diligenter.* *cum Metrodoro lubebit: quando eius arbitratu uiuen-* *Vale.*

EXPLANATIO

COMPONE, } ordina, & dispone, suo quemque loco statue. **INDICEM,** } quem compo-
nere, maioris laboris est. **CUM Metrodoro** } medico. **CUM olitore,** } ep. 18. **SPECTA-**
RE } in urbe. **REDIRE** } in agros.

Argumentum ep. 21.

Propensionem animi ad uirtutem, studiumq. suum Cicero filius significat: *de praedio empto gratulatur. scripta uidetur, uel Antonio & Dolabella* *cos. uel etiam superiore anno, Fabio, & Trebonio. nam aliquanto ante con-* *sules Antonium & Dolabellam profectum esse Athenas, Ciceronis filium, ex* *ep. 51. lib. XI. ad Att. ep. 24. lib. XI. ad eundem, intelligitur.*

Cicero F. S. D. Tironi suo dulcifs. 21.

CUM uehementer tabellarios expectarem quoti- *die, aliquando uenerunt post diem quadragesi-* *mo & sextum, quam a nobis discesserant: quorum* *mibi fuit aduentus adoptatissimus. nam cum maximam* *cepissem laetitiam ex humanissimi, & carissimi patris* *epistola: tum uero iucundissimae tuae litterae cumulum* *mibi gaudij attulerunt. itaque me iam non paenitebat,* *intecapitulum scribendi fecisse, sed potius laetabar, fru-* *ctum enim magnum humanitatis tuae capiebam ex* *silentio mearum litterarum. uehementer igitur gaudeo* *te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos* *tibi optatosq. esse, qui de me rumores afferuntur, non* *dubito, mi dulcissime Tiro: praestaboque, & enitar, ut in* *dies magis magisq. haec nascens de me duplicetur opinio.* *quare, quod polliceris te buccinatorem fore existima-* *tionis meae firmo id, constantiq. animo facias licet. tan-* *tum enim mihi dolorem, cruciatumq. attulerunt errata* *aeratis meae, ut non solum animus a factis, sed aures* *quoque a commemoratione abhorraant. cuius te sollicitu-* *dinis, & doloris participem fuisse, notum exploratumq.* *est mihi. nec id mirum. nam cum omnia mea causa uelles* *mibi successa, tum etiam tua, socium enim te meorum* *commodorum semper esse uolui. quando igitur tum ex* *me doluisti, nunc ut dupliciter tum ex me gaudium,* *praestabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut*

filium esse coniunctissimum. nam cum audio illum li- *benter; tum etiam eius propriam suauitatem uehemen-* *ter amplector. sum totos dies cum eo, noctisq. saepe* *numero partem. exoro enim, ut mecum quam saepissime* *cenet. hac introducta consuetudine, saepe inscientibus no-* *bis, & cenantibus, obrepit; sublataq. seueritate philo-* *sophiae, humanissime nobiscum iocatur. quare da operam,* *ut, hunc talem, tam iucundum, tam excellentem uirum* *uideas quam primum. Nam quid ego de Bruttio dicam?* *quem nullo tempore a me patior discedere: cuius cum* *frugi, seueraq. est uita, tum etiam iucundissima conuictio.* *non est enim seiunctus iocus a philologia, & quotidiana* *συγυρησεν. huic ego locum in proximo conduxit, & ut* *possum, ex meis angustijs illius sustento tenuitatem.* *Praeterea declamitare Graece apud Cassium institui:* *Latine autem apud Bruttium exerceri nolo. utor fami-* *liaribus, & quotidianis conuictoribus, quos secum Mi-* *tylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, &* *illis probatissimis. multum etiam mecum est Epicrates,* *princeps Atheniensium, & Leonides, & horum cete-* *ri similes. τῶ αὖτ' οὖν καὶ ἡμᾶς τὰ δε. De Gorgia* *aurem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana* *declamatione utilis, sed omnia postposui, dummodo* *praeceptis patris parerem. διαβήδην enim scripserat, ut* *eum dimitterem statim. tergiversari nolui, ne a nimia* *σῶσθαι*

συνδὴ suspensionem ei aliquam importaret. deinde illud etiam mihi succurrebat, graue esse me de iudicio patris iudicare. tuum tamen studium, & consilium gratum, acceptumque est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis accipio: scio enim, quam soleas esse occupatus. Emisse te praedium, uehementer gaudeo: feliciterque tibi rem istam euenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari. eodem enim fere loco tu quoque, emisse te, fecisti me certiore. habes, ubi deponendae tibi sint urbanitates rusticus Romanus factus es. quo modo ego mihi nunc ante oculos tuum incundissimum conspectum propono. uideo enim uidere ementem te rusticas res,

cum uillico loquentem, in lacrima seruantem ex mensa secunda semina. sed, quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, aequae ac tu, doleo. sed noli dubitare, mi Tiro, quin te subleuaturus sim, si modo fortuna me; praesertim cum sciam, communem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quod tibi curae fuit, est mihi gratum: sed peto a te, ut quam celerissime mihi librarum mittatur, maxime quidem Graecus. multum enim mihi eripitur operae in exscribendis hypomnematis. Tu, uelim, in primis cures, ut ualeas, ut una συμφοροῦν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

EXPLANATIO

ADOPTATISSIMVS. } pro exoptatissimus. sic Vatinius ep. 9. lib. v. Quem potius adoptem, aut inuocē, quā eum, quo defendente uincere didici? Alibi, Adoptare, est eum, quē optamus, assumere: ut, Adoptare filium. **B**UCCINATOREM } qui, quasi buccina carens, diuulgas laudes meas, in oratione pro Archia, praeconem, dixit Cicero pater: O fortunate adolescens, qui tuae uirtutis praeconem inueneris. **M**IHI successa, } pro, successisse. quod Latini sermonis consuetudo ferre uix uidetur. Omnino mirari satis non possum, non modo ab elegantia, & copia, sed interdum etiam a proprietate paterni sermonis longe distare orationem filij: quod uoluntatis potius, quam naturae, uitium esse arbitror. **C**RATIPPO } philosophorum principi in peripatetica doctrina: de quo diximus ep. 16. lib. XII. **B**RUTIO } Latino sermone: plerique tamen ueteres libri, Bruto: mendose scilicet: opinor enim, qui subsequi mentionem Calsij uiderunt, eos hunc esse M. Brutum, illum C. Calsium putasse, quasi uero post Caesaris necem ita uacuo animo essent, itaque otio abundarent Brutus, & Calsius, ut apud alterum Graece declamitare, apud alterum Latine exerceri Cicero filius arbitrato suo posset. Praeterea, quis credat hoc ad M. Brutum pertinere? Quent nullo tempore a me patior discedere. Et illud? Huic ego locum in proximo conduxī; & ut possum, ex meis angustijs illius sustento tenuitatem. Non enim, ut arbitror, ita loqueretur adolescentulus Cicero de claro uiro, & eius anni praetore, M. Bruto. nec ita Brutus ab amicis imparatus erat, ut a Cicero nis filio, cui pater in annum sumptum non satis large suppeditaret, sustentandus in Athenarum urbe nobilissima fuerint. numquam id (ut matrem Seruiliam, propinquos, familiares reliquos omittam) Atticus tulisset; qui etiam, ut in eius uita Nepos ait, Bruto Italia cederet H. S. C. muneris miserit, eidem in Epiro absentī CCC. iusserit dari. **C**VIYS cum frugi, seueraq. est uita, tum etiam incundissima conuictio. } quae summa laus est; seueritatem humanitate temperare. ep. 17. lib. XII. Est autem ita temperatis, moderatisq. moribus, ut summa seueritas cum humanitate iungatur. Quo loco plura diximus. **P**HILOLOGIA } disputatione de litteris. **ΣΥΝΔΙΩΣΑ.** } mutua quaestione. **M**ITYLENIS } Cratippi patria. **A**DDUXIT } non multo ante. nam Pompeius eum, ex pugna Pharsalica fugiens, Mitylenis uidit. **L**EONIDES, } qui cum ad Ciceronem de filio scriberet, certi nihil ausus est polliceri. ep. 16. lib. XII. ad Att. Cupio excurrere in Graeciam. magni interest Ciceronis, uel mea potius, uel mehercule utriusque, me interuenire discenti. nam in epistola Leonidae quid habet, quaeso, in quo magnopere laetemur? numquam ille mihi satis laudari uidebitur, cum ita laudabitur: Quo modo nunc est. non est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Et ep. 16. lib. XV. Leonidas retinet suum illud, Adhuc. summis uero laudibus Herodes. τὰ μὲν δὲ καὶ ἡμᾶς, τὰ δὲ. } quae igitur ad nos pertinent, haec sunt. **D**E. **G**ORGIA } graeco rhetore. Διαρρήδην } aperte. **V**T. **E**VM dimitterem statim. } causam, cur eum a filio dimitti Cicero uoluerit, Plutarchus hanc narrat, quod ad potum & uoluptates adolescentem alliceret. Hoc fortasse magistro didicit strenue bibere Cicero filius. nam, binos congios simul haurire solitū scribit Plinius lib. XIV. cap. ult. **Σπυδῆ** } propensa uoluntas ad Gorgia retinendum, studium de non dimittendo Gorgia. ad Att. lib. XIII. ep. 27. Nec in hac quidem re quidquam magis ut uellem accidere potuit, quam quod σπυδῆ nostra non est probata. **G**RABE esse, me de iudicio patris iudicare. } non recte facere me, si de patris iudicio ita iudicare uellem, quasi falli posset in eo, quod existimaret de Gorgia. **S**TVDIVM & consilium } studium, quia cupis: consilium, quia suades, ne Gorgia utar. **H**OC loco } hac parte epistolae. **N**OLI mirari. } cum gratulatio primum in epistola locum postulet, exempla sunt in ep. 7. 9. lib. 2. ep. 12. lib. III. ep. 12. lib. VI. ep. 12. lib. IX. **H**A B E S. ubi deponendae tibi sint urbanitates. } nihil mutuo: nec enim necesse est. Habes, inquit, ubi mores urbanos deponas, animumque liberiore uitae genere, nulla graui occupatione, remittas, ac relaxes. Vel, Deponendae urbanitates, omittendae res urbanae: ut ep. 17. lib. VII. Mihi interdum leuis in urbis, urbanitatisque desiderio uidebar. **R**USTICVS Romanus factus es. } iocō dictum: quasi Tironi, qui paulo ante seruierat, gratuletur, quod rusticus Romanus, empto praedio, sit factus. nam ueteres illi rustici Romani admodum laudabantur, utpote consulares multi, ac triumphales. Varro γεροντοδοσιακάω: Quoties priscus homo, ac rusticus Romanus internundinū barbā radebat. **V**IDERE enim uideo ementem te rusticas res, } modus transferendi coniecturam ad oculos; quo plus fidei nostra consequatur opinio ep. 15. lib. IX. Te cum uideo, omnes mihi Gracios, omnes Lucilios, uere ut dicam, Crassos quoque, & Laelios uidere uideo.

deor. In Laelio: Videre iam uideor populum Romanum a senatu difunctum. Pro Q. Gallio: Videbar mihi uidere alios intrantes, alios autem exeuntes. Simile illud ep. 12. lib. v. Cerno iam animo, quanto omnia uberiora, quantoq. ornatiora futura sint. IN . LACINIA seruantem ex mensa secunda femina? Laciniam Festus dixit esse partem uestimenti. id Plauti testimonio confirmatur: ait enim in Asinaria: Lacrumantem lacinia tenet lacrumas. Macrobius quoque lib. 2. Sat. Post uictoriam, inquit, Caesaris, interrogatus Cicero cur in electione partis errasset, respondit: Praeinctura me fefellit. iocatus in Caesarem, qui, ita toga praecingebatur, ut, trahendo Laciniam, uelut mollis incederet. Suetonius in Nerone: Circuitis templis, cum in aede Vestae refedisset, confurgenti ei primum Lacinia obhaesit: deinde &c. Item Seruius honoratus, cum illud Virgilij explanaret, Cinctuq. Gabino, haec posuit: Cinctus Gabinus est toga, sic in tergum reiecta, ut una eius Lacinia, a tergo reuocata, hominem cingat. Haec de Lacinia, uestimenti parte. Pro Linteolo, aut sudario quadrato, aut oblongo, Plautus accepit, in Mercatore. Sume, inquit, Laciniam, atque absterge sudorem tibi: Nec alia, nisi falior, in hac Ciceronis filij epistola significatio est, quid enim? an e secunda mensa Tiro femina exciperet in ueste, cum eadem & honestius multo, & commodius in Linteolo seruari posset? Tertio modo Laciniam usurpauit Columella pro definita loci parte: dixit enim lib. vii. cap. 5. male affectu gregem in Lacinias distribuendum: quia particulatim facilius, quam uniuersus, conualefcit. Adhanc similitudinem spectauit Plinius lib. ix. cap. 50. de capris cum dixit: Lacinae e ceruice binae dependentes. Et lib. v. cap. 10. Laciniolam Alexandriam: id est, in urbanas insulas, tamquam in Lacinias quasdam, diuisam, ac distinctam. Et lib. xxv. cap. 10. Laciniola folia: pro, partibus concisa, Lacinias, imitantibus. Laciniatim, pro particulatim, dixit Apuleius: Non laciniatim disperse, sed cuneatim stipato grege. Eodem modo saepe usurpauit Frontinus, in lib. de Colonia. Hic, in Lacinia, dixit, Cicero filius, pro, in uestimenti parte. fingit enim, Tironem, empto praedio, rusticos prorsus imitari: eamq. speciem familiari ioco describit. SERuantem? quod rustici solent. SEMINA? pomorum, quae comeduntur in secunda Mensa. Hypomnematis. commentarijs, ex tempore, & sine cura scriptis. ep. 23. lib. xv. ad Att. Silium expectabam: cui ὑπόμνημα compositum. Vide illud ep. 3. lib. ix. Aliquod ad me σύνταγμα conscribas. Haec hypomnemata fortasse Cratippi commentarij fuisse: qui nominantur lib. iii. off. in extremo. Hypomnematis, ex consuetudine dictum est: nam ratio postulabat Hypomnematis: cum sit in nominatiuo Hypomnema, non Hypomnematum. Sic, Poematis dicebant ueteres, pro, Poematibus. & Poematorum, pro, Poematum. ideo librum suum Varro inscripsit de Poematis: & Annaeus florus ad diuum Hadrianum: Poematis delector. Et Cicero pro Gallio: Poematorum, dixit: in Oratore, Poematis. Sed & Q. Laelius, ex principibus grammaticis, librum suum ita inscripsit: De uitijs, uirtutibusq. poematorum. Attius quoque Didascaliorum ix. Quam uaria sunt genera poematorum, Baebi, quamq. longe distincta ab alijs, nosse. Et Varro ad Ciceronem undecimo: Horum Poematorum, & his Poematis, oportere dici, affirmat. Haec Carisius. Eandem consuetudinem a Nonio obseruatam uideo. ait enim, Ciceronem lib. iii. de Off. dixisse: Quod idem in poematis & in picturis usu uenit. Vt Plautus quoque dixit in Asinaria: Neque fictum umquam est, neque pictum, neque scriptum in Poematis. Poematorum autem, pro Poematum, dixit Afranius in Priuigno. συμφορολογει? de litteris inter nos disputare. ANTHEVM? seruum. ἀνθηρός, floridus.

Argumentum ep. 22.

Prima pars epistolae Tironem hortatur ad curandam ualitudinem, reliquae uarijs de rebus agunt. Scripta est Tirone iterum aegrotante: cum in agris Cicero, in urbe Tiro esset: quantum ex ipsa licet epistola conijcere.

Tullius S. D. Tironi suo. 22.

SPERO ex tuis litteris tibi melius esse, cupio quidem certe. cui quidem rei omni ratione cura ut inservias: & caue suspiceris, contra uoluntatem meam te facere, quod non sis mecum. mecum es, si te curas. quare malo, te ualitudini tuae seruire, quam meis oculis, & auribus. etsi enim & audio te, & uideo libenter: tamen hoc multo erit, si ualebis, iucundius. Ego hic cesso, quia ipse nihil scribo: lego autem libentissime. tu istic, si quid librarij mea manu non intelligent, monstrabis. una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem faci-

le soleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura, ut facis. Tertia aderit; modo ne Publius rogatus sit. Demetrius iste numquam omnino Phalereus fuit, sed nunc plane Bilienus est. itaque te do uicarium. tu eum obseruabis. Etsi, Verumtamen, De illis. nosti cetera. sed tamen, si quem cum eo sermonem habueris, scribes ad me, ut mihi nascatur epistolae argumentum, & ut tuas longissimas litteras legam. Cura, mi Tiro, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Hhhh EXPLA-

EXPLANATIO

TIBI melius esse, } ep. 1. Cum meliuscule tibi esset. ep. 6. si recte erit. ep. 33. lib. XII. ad Att. Ego hic uel sine sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis. **C**VPPIO quidem certe } praeposita re non satis certa, cum sequitur affirmatio, haec duo uerba, Quidem certe. ut omnino tollatur dubitatio, subiungimus: ut ep. 9. lib. 1. cum uereretur Cicero, ne consilium suum, quia se cum Caesare & Pompeio coniunxerat, non satis probasse uideretur, haec subiicit: Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est, quod meos ciues, ut a me conferuatos, & me seruare cupientes, seruis armatis obijci noluerim. Et ep. 14. lib. IV. De mea in te uoluntate sic uelim iudices, me, quibuscumque rebus opus esse intelligam, quamquam uideam, quis sim hoc tempore, & quid possim, opera tamen, & consilio, studio quidem certe, rei, famae, saluti tuae praesto futurum. Ad Att. ep. 1. lib. 1. Spero me tibi causam probasse, cupio quidem certe. Pro Quinctio: Ut summa haberem cetera, temporis quidem certe uix satis habui. **E**GO hic cesso, } cum dicit, Hic, se non esse in urbe significat, ut ep. 33. lib. XII. ad Att. Ego hic uel sine sica facillime possem esse, ut in malis. **L**IBRARIJ. } qui libros describebant. **F**ACILE legere soleo, } sic antiqui libri omnes. Interdum abundare uerbum, Legere, suspicatus sum: ut subaudiatur, Intelligere: cum paullo ante dictum sit, Non intelligent. **D**E Quadrino Catone. } de puero Catone, quattuor annos nato. Haec est illa interpositio, quam ne ipse quidem legere facile solebat. nec dubito, quod alijs quoque uisum est, librum significari, quem scripsit de laudibus Catonis Vticensis: cuius libri testimonio utuntur ueteres grammatici. Non tamen desunt scripti libri, in quibus est, De qua prima: ex quo creditum est, legi posse: De qua primo cauet. **T**ERTIA } mulier post duas sorores nata, unde nomen soror M. Bruti, uxor C. Calsij, Tertia uocata, & Tertulla. **A**DERIT. } in cena, quae dabitur in illo triclinio. **R**OGATUS sit. } ut ad cenam ueniat. **D**emetrius } de quo ad me scribis. fortasse is, de quo ep. 17. 19. **N**VMQVAM omnino Phalereus fuit, } Iocatur in Demetrii nomine. numquam, ait, elegans, urbanus, Phalereo Demetrio similis fuit. **P**LANE Billienus est. } non Phalereo, sed improbo homini Billieno similis, qui nominatur ep. 15. lib. IX. quamquam ibi non Billienus, sed Bellienus uocatur. hic ueteres libri dissentiunt. habent enim, Billenus, Bullenus, Bilenus, Billienus. **T**E. DUO uicarium } ut uicariam mihi operam praestes: ut ea diligentia in eo obseruando, & cauendo utaris, qua ego uter, si adessem. Vicarius est, qui facit id, quod alius facere debebat. **E**TSI Verumtamen, De illis: } breuitas locum obscurat: opinor tamen Demetrii illius, quem obseruari a Tirone iubet, concisum, perplexumq. sermonem repraesentari. **N**OSTI cetera. } quae ille solet dicere.

Argumentum ep. 23.

Hortatur, ut professionem conficiat: scribitq. sibi esse in animo, amicitiam Antonij conseruare.

Tullius S. D. Tironi. 23.

TV uero confice professionem, si potes. etsi haec pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. uerumtamen. Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit. liceat modo rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Seruilio tu uideris, qui senectutem non contemnis. etsi Atticus noster, quia quondam me commoueri πειροχόισιν intellexit, idem semper putat, nec uidet quibus praesidijs philosophiae saeptus sim. & hercle, quod timidus ipse est, δογυστορία. ego tamen Antonij inueteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane uolo: scribamaq. ad eum, sed non ante, quam te uidero. nec tamen te auoco a syngrapha. γόνυ κνήμης. Cras expecto Leptā: etenim ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

EXPLANATIO

TV. VERO } ep. 12. Ego uero. quo loco, uide, quae diximus. **P**ROFESSIONEM } proferteti, est hic, publice denunciare, quidquid pecuniae, agri, aliarum ue rerum Cicero possideat. & uidetur, ut haec per Tironem, sic altera superioris anni professio per Philotimum esse facta. nam ep. 33. lib. XII. ad Att. Negligentiam, ait, miram. semel ne putas mihi dixisse Balbum, & Faberium. professionem relata? quin etiam eorum iussu miseram, qui profiteretur, professus est Philotimus. **H**AEC pecunia } quae nobis debetur. **V**T professione non egeat. } quia, cum nondum sit apud nos, profiteri eam

eam non debemus. VERVM TAMEN. } subaudi, confice: & hanc ipsam pecuniam profitere. BAL-
 BVS } idem, qui ep. 21. ΕΠΙΦΩΡΑ } oculorum morbo. Vt loqui non possit, } Iocus: nam
 epiphora officium oculorum impedit, non linguae, Non possit autem, dixit, idest, nolit. quia studiosus
 Antonij, & homo tectus. ep. 21. lib. XIV. ad Att. ANTONIVS de lege quid egerit. } hoc malo cum
 superioribus coniungere, quam, ut nonnullis placet, separatim constituere. lex Antonij fortasse illa signi-
 ficatur, de qua sic ep. 12. lib. XIV. ad Att. Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore co-
 mitijs latam, qua Siculi ciues Romani: cuius rei, uiuo illo, mentio nulla. LICEAT modo rusticari. }
 quod urbanis rebus, quas Antonius consul esua libidine administrat, antepono. BITHYNICVM }
 ep. 17. lib. VI. DE Seruilio tu uideris, } Isauricum significari arbitror. is enim hoc anno petijt, ut osten-
 dit Dio lib. XLV. Responder Tironi, qui Seruilij mortem significauerat. Tu cogita, inquit, & cura, ne ex
 hac uita, nisi ultima senectute, discedas: quod Seruilio contigit. SENECTVTEM non contemnis. }
 iocus non abest. significat enim Cicero, Tironem non modo non contemnere senectutem, sed magni et-
 iam facere: qui fortasse scripserat, id sibi curae esse, ut aetate Seruiliium aequaret. Potest autem hoc tacite
 dicere senectutem ego non tanti facio, quanti tu: uel quia neque mortem, neque casum ullum extimesco;
 (ad quam sententiam spectant ea, quae sequuntur) uel quia satis iam uideor uixisse. annum enim, cum
 haec scripsit, agebat Cicero LXII. & occisus est anno sequenti. ET SI Atticus noster, } etsi Atticus,
 quia me quondam, antequam praesidio philosophiae saeptus essem, repentinis terroribus perturbari sensit,
 nunc item timidum esse putat: cum philosophia prorsus me liberet ab omni metu, quae docet, timidum
 nihil esse, praeter culpam. unde illa uox ep. 9. lib. XIV. ad Att. O Socrates, o Socratici uiri, numquam ego
 uobis gratiam referam. Dij immortales, quam mihi ista pro nihilo. Πανικῶς } repentinis terro-
 ribus: quorum causam Pani deo tribuit antiquitas. unde Πανικῶς. Hoc satis est ad intelligentiam loci.
 Plura si quis postulat, Politianum legat Miscell. cap. 28. Θορυβῶσαι. } tumultum facit: terrorem in
 alijs gignit. uult, enim timere me ab Antonio. EGO tamen Antonij &c. } etsi nihil timeo, Antonij
 tamen inueteratam sine ulla offensione amicitiam retinere uolo. INVETERATAM } iam ante mul-
 tos annos occidere Antonius P. Clodium Ciceronis causa conatus est. Phil. 2. & Cicero sic ad eum scribit
 lib. IV. ep. ad Att. semper te amaui. primum tuo studio, post etiam beneficio prouocatus. NEC tamen
 te audio a syngrapha. } etsi uidere te cupio: nolo tamen te ab urbe discedere priusquam conficias eam
 rem, cuius rei causa te misi. Miserat eum Cicero, ut pecuniam, sibi per Syngrapham debitam, exigeret.
 Τὸν κνήμας. } genu tibia propius est. nam subauditur ἔγγυον. Integrum prouerbiu recitat Aristote-
 les Moralium lib. IX. Theocritus autem in Idyllio, quod charites inscripsit, eodem sensu dixit, ἀποτέγω,
 ἢ γόνυ κνήμα: } idest, longius, quam genu, tibia. Terentius autem in Andria: Heus proximus sum ego
 met mihi. Tunica pallio propior. Plautus in Trin. dixit. Hoc prouerbio significatur, curanda magis esse,
 quae magis ad nos pertinent. ET ENIM } abest ab uno uetere libro. placeret, Eum: sed, Etenim,
 ferri tamen potest. quasi hoc dicat Cicero: Quippe ad cuius rutam. AD cuius rutam pulegio mihi tui ser-
 monis utendum est. } amarus, ut ruta, Leptae sermo; suauis, ut pulegium, Tironis. Lepida similitudo.
 amaritudo, inquit, sermonis Leptae, sermonis tui suauitate, quasi ruta pulegio, condietur. Notissima
 est utraque herba.

Argumentum ep. 24.

Domesticas res primum, deinde publicas cōplectitur haec epistola, quam post Caesaris obitum scriptam esse, constat, consulatum gerentibus M. Antonio, P. Dolabella.

Tullius S. D. Tironi. 24.

ETSI mane Harpalum miseram: tamen, cum haberem, cui recte darem litteras, etsi noui nihil erat, istem de rebus uolui ad te saepius scribere: non quin considerem diligentiae tuae: sed rei me magnitudo mouebat. Mihi prora, & puppis, ut Graecorum prouerbum est, fuit a me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. Offilio, & Aurelio utique satisfiat. A Flamma, si non potes omnem, partem aliquam uelim extorqueas, in primisq. ut expedita sit pensio Kal. Ian. De at-

tributione conficies. de repraesentatione uidebis. De domesticis rebus haecenus. de publicis omnia mihi certa, quid Octavius, quid Antonius; quae homin. opinio; quid futurum putes. ego uix teneor, quin acc. m. sed si. litteras tuas expecto. & si uo Balbum t. n. fuisse Aquini, cum tibi est dictum, & posttridie Hirti. puto utrumque ad aquas. Sed quod egerim. Dolabe. & procuratores fac ut aduocentur. appellabis etiam Papiam. Vale.

EXPLANATIO

HARPALVM } seruum. MISERAM: } Romam, ubi Tiro erat. REI magnitudo, } ratio-
nes meae, quas explicari a te cupio. PRORA, & puppis, } summa consilij mei. nam prora, &
puppis totam nauem continent. unde natum prouerbium apud Graecos, *πρωρα, κει κει γων*. OFEL-
LIO, & Aurelio, } creditoribus. A. FLAMMA, } debitor. hic est Flaminius Flamma, nomi-
natus ep. 16. lib. xiv. ad Att. & ep. 1. 2. lib. xv. ad eundem. Hoc & Calpurniae gentis cognomen fuit.
VT expedita sit pensio Kal. Ian. } ut Kal. Ian. soluat id, quod debet. DE attributione, } de assigna-
tione pecuniae, quam Cicero Dolabella, diuortio facto cum Tulliola, eius filia, debebat. uide ep. 13.
lib. xv. ad Att. & ep. 3. lib. xvi. ad eundem. Varro lib. 1. lin. Lat. DE repraesentatione, } de pecunia
ante diem soluenda. id enim est, Repraesentare. unde, Repraesentare diem promissarum, *μεταφορως*
ep. 14. OMNIA mihi certa, } perscribere. uerbum omittit, ut infra, sed quod egerint: & saepe in episto-
lis ad Att. figura est, quae graece *ἀποσώπρωσις* dicitur, in epistolis quae ad familiares mittantur, usurpata.
QVID Octauius, } agat. Post Caesaris necem, fororis eius nepos Octauius, ab eo adoptatus, herefque re-
lictus ex dodrante, Apollonia, ubi studijs operam nauauerat, ad urbem profectus, cum Antonio consule
in contentionem uenit, primum pecuniae Caesaris caussa, in quam Antonius impetum facere cogitabat,
(ep. 23. lib. xii.) deinde propter ipsam rem. quam Antonius opprimere conabatur. ep. 25. lib. xii. ep. 7.
lib. xvi. ad Att. SED. SI. } Sic ueteres libri omnes. Ego legendum arbitror, Sed si; id est, sed hoc
filebis. est enim, St, nota silentij. Idem olim ex lib. 2. de Orat. mendum sustulimus. In Plauto etiam ubi
legendum St, modo Si, modo At, modo At, mendo se legitur. Terentius quoque in Phormione hac no-
ta usus est. Et Nacuius in Corollaria apud Carisium: St: tale uerbum caue faxis. BALBUM tuum, }
L. Cornelium Balbum, Gaditanum, pro quo exstat oratio. HIRTIVM } consulem cum Pansa desi-
gnatum in annum sequentem. AD aquas. } Baianas. ep. 12. lib. xiv. ad Att. SED quod egerint, }
fac ut sciam: uel, Scimus: subaudiendum. amat enim hic Cicero breuitatem, ut paullo ante: De publi-
cis, omnia mihi certa: subaudi, significa. Mei tamen ueteres libri, Scu, non Sed, omnes habent. itaque
cogor de mendo suspicari. DOLABELLAE procuratores fac, ut admonentur. } qui consul erat hoc
anno. gener antea Ciceronis fuerat; & dimissa iam ante Hispaniensem Caesaris uictoriam Tulliola, do-
tem reddere debebat. Ideo utitur Cicero hoc uerbo, Admonentur: quod ad pecuniam pertinet, quae ei
Dolabella debebat. ep. 18. lib. vi. Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus: sed, cum ea, quemad-
modum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensio-
nem. APPELLABIS } & hoc uerbum eorum est, qui pecunias a debitoribus petunt. Appellare au-
tem, plus est, quam Admonere. utriusque uerbi uis & notio patet ex oratione pro Quinctio. Cum tibi quo-
tidie potestas hominis fuisset admonendi, uerbum nullum facis: biennio iam confecto fere, appellas.
PAPIAM } mulierem Papiiae gentis, plebeiae, quae Cicero pecuniam debebat. Hic apparet, ualde
Ciceronem de rebus domesticis laborare. nam, cum dixisset iam: De domesticis rebus haecenus: & publi-
cas attigisset: rursus in extrema epistola redit ad domesticas.

Argumentum ep. 25.

Litteras a Tirone quam creberrimas M. Cicero filius requirit: In hac
epistola nihil esse uideo, quod interpretationem desideret. itaque parcam
operae: ne uidear, quod aiunt, nodum in Scyrpo.

Cicero F. S. D. Tirone suo. 25.

ETSI iusta, & idonea usus es excusatione inter-
missionis litterarum tuarum: tamen, id ne saepius
facias, rogo. nam, etsi de rep. rumoribus, & nuncijs cer-
tior fio, & de sua in me uoluntate semper ad me perscri-
bit pater: tamen de quauis minima re scripta a te ad me

epistola semper fuit gratissima. quare, cum in primis
tuas desiderem litteras; noli committere, ut excusatione
potius expleas officium scribendi, quam assiduitate li-
terarum. Vale.

Argumentum ep. 26.

Tironem Q. Cicero & accusat, quia litteras non miserat, & rogat, ut omnino, etiam sine argumento, scribat.

Q. Cicero S. D. Tironi suo. 26.

VERBERAVI te cogitatione tacito dumtaxat conuicio, quod fasciculus alter ad me iam sine tuis litteris perlatus est. non potes effugere huius culpae poenam te patrono. Marcus est adhibendus: isq. diu, & multis lucubrationibus commentata oratione, uide, ut probare possit, te non peccasse, plane terogo, sicut olim

matrem nostram facere memini, quae lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae: sic tu, etiam si, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quaesuisse uidearis. ualde enim mihi semper & uera, & dulcia tuis epistolis nunciantur. Ama nos, & uale.

EXPLANATIO

VERBERAVI te & accusavi. ut in ep. sequenti: Mirificam mihi uerberationem cessationis epistola dedisti. modo a uerberibus, deducatur uerbero: quod Nonius animaduertit. **T**E patrono. si tu causam tuam uelis agere, quod si Marcum fratrem adhibeas patronum: fortasse ne is quidem, accurata licet oratione, probabit, uacare te culpa. **L**AGENAS etiam inanes obsignabat, nam si quas non obsignatas, ut inanes, reliquisset, dici potuisset, eas quoque, quae furtim essent exsiccatae, inanes fuisse: ea uero ideo etiam inanes obsignabat, ut obsignatio, lagenarum omnium communis, plenas pariter esse omnes ostenderet; & ita nullus excusandi locus ijs, qui eas furtim exsiccaissent, relinquere-tur. Lagenam, uas unarium fuit, quo uinum a cupa ad mensam ferebatur. opinor esse, quem communi linguam fiascum uocamus. id uidetur ostendere Plinius ep. 6. Cum uenabere, inquit, licebit auctore me, ut panarium, & lagunculam, sic etiam pugillares ferat. Et ep. 30. Vinum paruulis lagunculis in tria genera descripserat. Eodem spectant diuui Augustini uerba, quae legimus confessionum lib. ix. cap. 8. Cum de more, ait de matre sua, tamquam puella sobria iuberetur a parentibus de cupa uinum depromere, submisso poculo, qua desuper patet, priusquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum: quia non poterat amplius, sensu recusante. Horatius in Satyra de Nafidieni cena:

Conuiuiae reliqui minimum nocuere lagenis.

Idem ep. 2. lib. 2. Possit qui ignoscere seruis,

Et, signo laeso, non insanire lagenae.

Martialis uidetur idem facere lagenam,

matellam, oenophorum; & lagenam ab uno Panareto epotam ait. Lagenas e radicum filis tum fici, tum etiam siluestrium, fieri solitas, auctor Plinius lib. xvi. cap. 31.

Argumentum ep ult.

Inebitur Q. Cicero in Consules designatos A. Hirtium, C. Pansam beneuolentiam suam in Tironem significat.

Q. Cicero S. D. Tironi suo. 27.

MIRIFICAM mihi uerberationem cessationis epistola dedisti. nam quae parcius frater perscripserat, uerecundia uidelicet, & properatione, ea tu sine assentatione, ut erant, ad me scripsisti, et maxime de consulibus des. quos ego penitus noui libidinum, & languoris effeminatissimi animi plenos: qui nisi a gubernaculis recesserint, maximum ab uniuerso naufragio periculum est. incredibile est, quae ego illos scio, oppositis

Gallorum castris, in aestiuis fecisse: quos ille latro, nisi aliquid firmitus fuerit, societate uitiorum delentiet. res est aut tribunicij, aut priuatis consilijs munienda. nam isti duo uix sunt digni, quibus alteri Cefenam, alteri Cossutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego uos ad III. Kal. uidebo; tuosq. oculos, etiam si te ueniens in medio foro uidero, distantiabor. Me ama. Vale.

EXPLA-



EXPLANATIO

MIRIFICAM uerberationem cessationis epistola dedisti. } quid potest esse durius, aut magis diuersum a Marci fratris purissimo sermone? Dicit hoc ualde me, quia cessauerim in litteris ad uos mittendis, uerberasti in epistola tua: pro, tacite reprehendisti. **VERECUNDIA** } qua factum est, ut parcius quaedam scriberet, quae ne fratris animum offenderent, uerebatur. **PENITVS noui**, } cum legatus esset Caesaris in Gallia. **A. GYVERNACVLIS** } areip. administratione. translatio a nauis, quae gubernatoris imperiti culpa naufragium facit. **OPPOSITIS Gallorum castris**, } quo tempore in Gallia cum Caesare militabant. **ILLE latro**, } M. Antonius, cum quo Hirtius, & Pansa, sequentis anni consules, bellum gesturi uidebantur. Latronem & Plancus uocat ep. 15. lib. x. Et Phil. 6. semper eum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum & latronum. **DELENIET** } sibi conciliabit, ad suas partes traducet. **TRIBVNICIIS**, } ut Tribuni pl. totam remp. praesidio consulari destitutam, suscipiant. **PRIVATIS** } ut priuatus aliquis cuius ducem se bonarum partium contra M. Antonium profiteatur. quod fecit Octavius. uide ep. 7. lib. xi. **QUIBUS alteri Cefenam**, } hunc locum carere mendo numquam non sum arbitratus. neque enim adeo tum ignobilis, aut obscura Cefena fuit, quae nunc in primis lauta, & honesta ciuitas est, ut, tamquam abiecta res, nominari debuerit. nam quod Sidonius Apollinaris furnum ait esse potius, quam opidum: iocari uidetur, ut amico, qui Lugdunum patriam suam, accusauerat, familiariter cauillans par par referret. Auxit hanc suspicionem uetus liber uiri optimi nec litterarum expertis, condiscipuli olim mei, Vincentij Riccij a Spe: quo in libro erat: Quibus gesa, uel quibus sutianarum. Alter liber, e Cypro aduectus, quo olim sum usus, habebat, Quibus alteri Censenam. Atque hoc testati sumus ante multos annos in Scholijs nostris. Nunc uideo scriptum esse in antiquo exemplari Fuluij Ursini: Quibus alteri Cunsfanarum, alteri Cossutinarum. ut sint nomina tabernarum, quae tunc aedificarentur. quod non displicet: licet ignotae mihi tabernae sint. In alijs, Consuntinarum, Consutianarum, Cossutianarum. **UT dixi** } non in hac epistola, sed in sermone, cum simul essent. **FERO oculis**. } mirifice diligo. Reliqua exempla in oculis habent, ut ep. 17. ad Q. fr. lib. III. Balbum in oculis fero. Phil. 6. Trebellium fert in oculis. & alibi. **IN medio foro**, } in urbe igitur Tiro, in agris erat Quinctus. **DISSAUIABOR**. } & hic amor ostenditur. nam Sauiari, idest osculari, plus est, quam Complecti: Oculos, plus quam Malas: in foro, plus quam Domi, uel In uia: In medio foro, pulsquam In alia fori parte: Dissuuiari autem, plus quam Sauiari. iteratio enim sauiorum indicatur. Veteres libri omnes, Dissuuiabor, detracta littera V: ut Sauium quoque & sauium, ueteres dicebant, a sauiitate tamen deducto uocabulo.

FINIS.

Compendium Ceteri... 413

1714

Faint, illegible text covering the majority of the page, likely bleed-through from the reverse side.



INDEX
RERVM. ET. VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS

Quae in Cic. Epistolis Fam. continentur.

A



TENERIS

unguiculis 31
A ui praestare tibi nihil possum 26
Ab ineunte aetate 518
Ab initio aetatis summe omnium doctriinarum studiosus fuisi 152
Ab alienauerunt nos inuidendo 33
*Ab*do me in bibliot. hecam 311
*Ab*didit se in intimam Macedoniam quam potuit longissime a castris 526
*Ab*dere se totum in litteras 319
*Ab*ducit me a sollicitudine philosophia 494
*Ab*ducam me, quantum poterō 205
*Ab*ducunt animum a sollicitudine litterae 152
*Ab*ducere a rep. uirum bonum non debet iniuria. 183
*Ab*ducere aliquem a molestijs 187
*Ab*ducere te non debet a tantis laudibus festinatio magistratus adipiscendi 436
*Ab*duci a studio negotijs 155
*Ab*errationem a molestijs nullam aliam habemus 589
*Ab*est bidui spatio 427
*Ab*esse ab Amano iter unius diei. 572
*Ab*esse a reprehensione temeritatis. 432
*Ab*horreo — quam ualde Bibuli uoluntas a me abhorret 110
*Ab*horret — a studijs nostris non abhorret 522
*Ab*horret non solum animus, sed etiam aures a commemoratione 607
*Ab*horrent a communibus praecipris libri tres de Oratore 48
*Ab*ieciisti cum spe uincendi simul etiam certandi cupiditatem 167
*Ab*iecit ceteras suas actiones 336
*Ab*ieciisse te illam aedificationem constabat inter omnes amicos tuos 504
*Ab*ijcere omnem timorem 467
*Ab*ijcere se ad pedes alicuius 155
*Ab*ieciisse curam reip. 406

*Ab*iectus pari fortuna 178
*Ab*ijciendus est omnis dolor 205
*Ab*ire magistratu 185
*Ab*soluere reliqua iurisdictione. 174
*Ab*stergere animi tui metum uolo. 392
*Ab*stergere metum alteri 469
*Ab*undantia quaedam amoris 44
*Ab*undabis omnibus amplissimis honoribus 422
*Ab*undas consilio 427
*Ab*undare ingenio — non ita abundo ingenio, ut te consoler 169
*Ab*uuntur quidam ingratis facilitate nostra 476
*Ab*uti libertate potissimum in eo per quem eam consecutus sit, est populi Rom. 390
*Ab*uti obsequio alicuius ad omnes res 426
*Ab*uti studijs bonarum artium 378
*Ac*ademiae adolescentioris os 381
*Ac*cedo — ne quid mihi ad hoc negotij, aut oneris accedat, aut temporis 131
*Ac*cedat maximus ad eam uoluntatem quam ad eam contulisti meae commendatione cumulus 519
*Ac*cedere ad desperatos 368
*Ac*cedere ad fugatos quos resistentes sequi nolueris summae stultitiae est 368
*Ac*cedere ad societatem integerrimorum periculorum 420
*Ac*cedere — magni uidebatur interesse ad eam necessitudinem quam fors attulisset consuetudinem quoque accedere 117
*Ac*census meus 127
*Ac*cessio — eam uidentur famam consecuti ut non tam accessio quae uenda quam fortuna metuenda sit 97
*Ac*cessiones meritorum meorum in dies fieri, peruidere te spero. 421
*Ac*cedit ea res eius spei per quam oportuna 336
*Ac*cidebant mihi acerba 45
*Ac*cidere — minime mihi miranda, & maxime incunda acciderunt 136
*Ac*cidere — nolim accidisset tempus in quo perficere posses quantum te facerem 136
*Ac*cidisse gratissima — intelligo omnia quae a me profecta sunt in te tibi accidisse gratissima 120
*Ac*cipio tuam excusationem quam uisus es, cur saepius & c. sed accipio ex ea parte 155
*Ac*cipimus quod dat. 7
*Ac*cepi nuncium optatissimum 117
*Ac*cepit a M. Laberio praedia in aestimationem 512
*Ac*cepit duo uulnera, unum in stomacho alterum in capite secundum aurem 174
*Ac*cepimus condiciones 600
*Ac*ceperunt falsam opinionem de Q. Merello L. Filio 46
*Ac*cipe ad omnia & cognosce aequitatem exposulationis tuae 127
*Ac*cipere alterius satisfactionem 289
*Ac*cipere de aliquare nuncium 328
*Ac*cipere detrimentum 434
*Ac*cipere in optimam partem 453
*Ac*cipere in partem hanc, uel illam — ut quam in partem accipiam minus laborem 127
*Ac*cipere iniuriam 167
*Ac*cipere praedes 110
*Ac*cipere prouinciam ab altero 121
*Ac*cipitur satis male a Curione Pompeius 351
*Ac*cepta in signi iniuria 185
*Ac*ceptus — male acceptus 487
*Ac*ceptus pessime inopia omnium rerum 461
*Ac*ceptae litis in hanc uel illam partem 418
*Ac*commodabo meum consilium potissimum ad tuum 380
*Ac*commodassem meas litteras ad id 182
*Ac*commodes ei uelim de habitatione 507
*Ac*commodandum est hoc totum tempus ad unius uoluntatem & prudentis & liberalis 164
*Ac*commodatus ad uitae meae rationem & consuetudinem 544
*Ac*cubueram hora nona, cum, & c. 410
*Ac*currate agere cum aliquo de aliqua re 103
*Ac*νεοσποιδος 588

a Acerbam